# HIPPOCRATES
## DE INVSTIONIBVS,
SIVE
# FONTICVLIS.

OPVS
Historiis Medicis refertum, & in praxi utilissimum.

Autore RAYMUNDO RESTAURANT,
Santspiritensi, necnon Universitatis Monspeliensis Doctore Medico.

*Quæ Medicamentum non sanat, ferrum sanat, quæ ferrum non sanat, ignis sanat; quæ ignis non sanat, incurabilia sunt.* Hipp. 7. Aphorism. 88.

Adjuncta est Oeconomia Physiologicorum Hippocratis Redivivi.

LUGDUNI,
Apud SPIRITUM VITALIS, Viâ Mercatoriâ.

M. DC. LXXXI.
*Cum Permissu Superiorum.*

AMPLISSIMO

ET ILLVSTRISS. VIRO

# DD. ANTONIO DAQVIN,

REGI AB OMNIBVS
Conſiliis, & Archiatrorum
Comiti digniſſimo.

AMICITIAM *& clientelam Tuam jamdudum ambio,* VIR ILLVSTRISSIME, *& quamvis è ſuavibus litteris quibus*

*me aliquando honorare voluisti, de prospera sorte voluntatis meæ adulari ausim, solo insperati in Arte nostra Operis suffragio, tam insignem gratiam mereri me posse non ignoro. Hoc me movet,* VIR ILLUSTRISSIME, *Hippocratis mentem de Inustionibus & Fonticulis in lucem edere sub Tuis auspiciis, ubi Recentiorum errores, qui Veterum doctrinam solâ annorum diuturnitate commendari, hac nostra ætate promulgant importunè, refellere inten-*

*do. Est equidem in hoc consilio*, VIR ILLVSTRISSIME, *audacia non dissimilis illius quæ fortassis esse videbitur, hunc ingenij mei fœtum inscribere nomini Tuo perillustri; sed si hac in parte nimiæ temeritatis reum me esse aliquis sentiat, de Patroni selectione non est quod increpet; in quo enim eum quem obtines, doctrinæ & benignitatis cumulum invenissem? egebam Viro, qui hisce duabus animi dotibus inter cæteros emineret; illâ, ut operis*

*dignitatem intùs cognoſceret ; hac , ut pro erroribus qui paſsim occurrent , veniam daret. Hic verè mearum partium eſſet , ut moris eſt aliis Autoribus , Tibi ipſi elogium, Tuum proferre ; ſed præterquam quod antiquiorem Tibi eſſe ſcio virtutem illam quæ cæteras ſpargere vetat, Oratore non eges ad id muneris: Conſuluit apprimè illi Rex Chriſtianiſsimus , dum inter Artis noſtræ in Gallia Proceres Te diſcernere & ſanitatem ſuam toti Orbi*

*charissimam, peritiæ & fidelitati Tuæ voluit commendare. Post selectionem illam factam à Principe supra quem Immortalium sola laus est, quid aliud superest mihi, quàm vt Opus istud in æternum obsequij Symbolum graviore quo possum venerationis cultu Tibi offeram : nam*

Quis ne valet tantum verbis ut fingere laudes Lucr. 5.
Pro meritis vestris possit:
Nemo ut opinor erit ?

*Tibi ad omnia paratissimus,*

R. RESTAVRANT.
Doct. Med.

Santspiritus 18.
Iunij an. 1680.

# INDEX
## Librorum & Sectionum.

### LIBER PRIMUS.



### LIBER II.

## LIBER III.

## LIBER IV.



## LIBER VLTIMVS.

ILLVSTRI

VIRO DOMINO

REMVNDO RESTAVRANT,

Doctori Medico, multorum Operum Autori Celeberrimo.

*REMVNDVS RESTAVRANT,*
*TV MEDENS RARVS NATVS.*

Ventosos Medicus quærat sibi Cœtus Honores?
Te certum Nomen, docte Remunde, beat.
..Caustica, 2. Nix, 3. Sanguis, 4. China, longâ febre jacentes
Sanans, 5. Quæque brevi sedula Prœla dabunt;
Nos quadrare docent sublimia nomina rebus,
Dum *rarus natus* diceris esse *Medens.*

1. Hipppocrates de Inustionibus. 2. Hippocrates de usu gelidi potûs, Gallico idiomate. 3. Hippocrates de Circulatione sanguinis, Gallico idiomate. 4. China China, Gallico idiomate. 5. Concordia Dogmatum Aristotelis & Epicuri de corporibus naturalibus: Gallico idiomate. Hippocrates Redivivus, &c.

PHILIBERTVS BRVN,
Matisconensis, Doct. Med.

## PERMISSIONS.

IE consens pour le Roy, qu'il soit permis à ESPRIT VITALIS, de faire reimprimer le Livre intitulé *Hippocrates de Inustionibus sive Fonticulis*, commenté par M. Restaurant, cy devant imprimé sans privilege. A Lyon ce 23. Novembre 1680.

VAGINAY.

SOit fait comme il est requis, les an & jour cy-dessus.

DE SEVE.

PRÆFA

# LECTORI.

VARIOS ustionum modos scripsêre Medici & longam composuêre supellectilem instrumentorum quibus inferri possint sine discrimine, LECTOR: quâ autem ratione in præcavendis curandisque morbis inserviant ad mentem Hippocratis, nemo hactenus plenè dixit. Cùm enim materiam morborum per eas educi debere sibi persuasissent, & quod purulentum effluit, tam exiguum esse, si cum illorum magnitudine conferatur, animadverterent; præ inopiâ consilij, vix habuerunt, quod scripto proderent, studia interim in contraria scissi.

Martianus in Commentario textûs libri de humoribus, ubi Hipp. abscessus qui à morbis liberant, ab iisdem præ-

ſervare,ait, ratus hanc præſervationem à morbis, fieri debere, evacuatâ per abſceſſum, illorum materiâ,ut fit aperto empyemate, conceſſo hoc (inquit) quod, ut voluit Hipp. puellus à gravibus morbis quos cerebrum infert pituitoſi humoris decubitu, inuſto capiti & collo præſervetur; quandoquidem protruſis, ob loci communionem in eas partes potiſſimùm in glandulas aurium & colli, pravis humoribus, ab iis liberari poteſt, cùm morbi capitis non ſanentur per abſceſſus factos ad brachia; quomodò inuſtis iiſdem partibus, brachiis nimirum, ab iiſdem morbis præſervari & liberari ſe poſſe, ſperare quis audeat? Indè ſumpta occaſione non modò in fonticulos ſævit, ad quos tanquam ad ſacram anchoram, ut ait, nullâ habitâ ratione aut ætatis, aut temperamenti, aut ſexûs, confugiunt Medici, quia, *illorum multitudine*, (ut putat) *continuáque ulcerum purgatione* pueris & adoleſcentibus augmentum & robur corporis ſubtrahunt, habitu graciles & exangues ad maciem perducunt, ſenibus vitam reddunt breviorem, denique mulieribus menſtruas pur-

Lib. de morb ſacr.

gationes ſupprimunt, undè & ſterilitates, variáque ex vtero mala adducunt; ſed in Medentes ipſos, quos, dum ſanis cauteria præſcribunt, digniores eſſe ait, qui è civitatibus expellantur, quàm confutentur; maximè, quia dum novos ductus pro excrementorum expurgatione conſtituunt, non ſolùm humano generi officiunt, ſed impietatem quandam in ſummum Architectum committunt, tacitè illi imponentes, quippè qui in hominis conſtitutione neceſſarias expurgationes ignoraverit, aut ſufficientes vias accommodare non potuerit.

Helmontius cauteria pro catharris inventa eſſe effatur. Sed quia horum doctrinam conſpirare putat in perniciem mortalium, reipublicæ atque familiarum deſtructiones, ſuarum partium eſſe hanc Medicæ Artis veluti hæreſim funditùs evertere, ac proindè cauteria è remediorum albo eradere, tantóque potentiùs ſe debere addit, quod omnes Europeorum animos iſta lues à diebus Galeni poſſideat. Quamquam ergo catharri doctrina è litterarum phrontiſteriis ſublata, tractatus quem ſcripſit *de Cauterio*, fruſtra-

neus videretur, ut ait, nisi initiandis scripsisset, diffidens eruditis quicquam profutura sua studia, cauterij modos & finem his verbis exponit. Cauteria (inquit) fiunt candente ferro, igne; medicamento corrosivo, forcipe & scalpello, modò carnosa membrana pertundatur. Horum institutio habet pro objecto excretionem, quæ non ante decidentiam escharæ incipit His sic suppositis, postquam obstrepuit in Scholas medicas, dum quod Deus fecit integrum ut esset optimum, illis meliùs videtur fore si vulneratum servetur, & supra mille fontanellas incarnari jussisse gloriatus est, cujus hactenus pœnituit neminem; intueri se quotidie in cauterio (addit) non solùm implicitam blasphemiam quâ Creatorem insufficientiæ in condendis emunctoriis palam accusant, sed puerilem Medentum præsumptionem, quod naturam suis illorum usibus auscultaturam sibi seriò persuadeant, etiam supposito defluxu & procubitu humorum peccantium in ea quem jubent longe absurdissimum. Tum probat variis rationibus, cauteria effluente ex iis humore pravo in prohibendis

curandisque morbis utilia esse non posse, ut vulgò creditum, & si utilia sint, fateantur Scholæ necesse esse, à mediis & finibus sibi ignotis, seque conjecturale remedium incertum & per accidens tanto encomio extollere; quod si quibusnam corporibus utilia esse cauteria putet, scire quis quærat: Corpora obesa, edacia, plethorica, & sedentaria juvamen subinde ex iis sentire & non alia, ait, eò quod cruoris massa versus justum pondus & proportionem requisitam dematur, cujus abundatia alioquin Archeum, partes, harúmque digestiones & distributiones onerat, & aggravat, quæ omnia non crudeli & putido remedio, sed exercitio, justâ parcimoniâ, vitæque temperantiâ Medici faciliùs averterent, quàm forte fortuna & duce ignorantiâ tentantes omnia. Hisque prolatis, Phœbi instar è tripode fundentis oracula, tractatum suum finit his verbis: Consultò claudantur fontanellæ; ut cætera quæ ille contra Medicos verbis generoso & nobili viro plane indignis suo more affert æterno silentio quàm prælo digniora repetere supersedeam.

Contra pro inustionibus fuêre plu-

rimi, inter quos magni ponderis eſt Cornelius Celſus qui ad Hipp. mentem ſinapiſmorum aut uſtionum nomine in multis morbis præſcripſit, licèt an tanti viri ratione, an experimento ſuo inductus, in ejus libris non benè conſtet. In priorum tamen errorem incidiſſe videretur, (quod abſit dicere) ſi per eas morboſum humorem omni ex parte ſubduci crediſſet, ut effari videtur in pluribus locis, maximè agendo de dolore lateris, ubi inuſtiones præſcribi debere ait, ut humores in eam *partem citentur*; quod poteſt intelligi de bonis humoribus, quorum adventu in partem ægram venis interceptione liberis, morboſi non tam per ulcera, quàm per alia veſicæ & ventris emunctoria, & per os ipſum cum ſputo ſubducantur; húncque loquendi modum ridendo mutuaſſe, videtur Helmontius, dum effatur catharros à Medentibus *in partes citari per cauteria, ut perſonaliter in iis compareant ad illorum arbitrium.*

A Cornelio Celſo ſtetêre etiam pro inuſtionibus Authores varij quos lõgo agmine recenſet Zacutus Luzitanus. Agens enim de fonticulis qui inuri

possunt iuxta partes undè epilepsiæ causa in cerebrum efferri putat, ex Hollerio sic effatur: *Cum antiqua partium debilitas est, frustrà pharmaca aut alia remediorum genera tentantur, quoniam tunc ferro & igne pugnandum est, quamobrem ad expurganda quæ ex partium imbecillitate quotidie gignuntur excrementa, summa cum utilitate fonticulos per quos putris & noxius humor vacuaretur, prisca sagacitas adinvenit, juniorum experimento celeberrimo confirmata.* Hinc errore vulgi evacuationem quæ sensim fit per fonticulos purgationis & venæ sectionis vicem supplere imaginatur ad mentem Guidonis, ductúsque experientiâ, *ignotóque medio & fine*, ut ait Helmontius, aut iis quæ hausit in Hipp. magis quàm vera ratione illius, in morbis capitis, vertigine, appoplexia, epilepsia, convulsione & paralysi, cæterisque, inustiones eidem parti agendas esse effatur, in variis similiter affectibus oculorum, in morbis thoracis, difficili respiratione, tussi, tabe, asthmate, brachiis ut & capiti; ad vitia stomachi, in vtroque crure; ad morbos lienis & qui ab eo proficiscuntur, me-

Lib. 1. Hist. Med. princ. histor 20.

lancholia, cordis mœrore, palpitatione sinistri hypochondrij, in crure sinistro, aut sub ipso viscere; in morbis hepatis eorumque sobole, cutisque fœditatibus, in crure dextro aut sub ipso viscere. Ad affectus proprios uteri & alios qui ex eo ducunt originem in parte domestica crurum & tibiarum; utque abortus quem humores è variis corporis locis effluentes in uterum concitare possunt, eadem industriâ præcaveantur, fonticulos in variis locis inurit, & ab iis præservari posse; imò & gallici morbi reliquias crebra humorum expulsione & vaporum spiratione, ut ait, per fonticulos facta, prorsùs deleri voluit.

Lib. 5 Inst. part. 7. sect. 2. cap 9. Hieronimus Fabricius quem sequitur Daniel Sennertus, stetit similiter pro fonticulis, sed in eandem erroris nebulam impegit, dum illorum seu aquæductuum ministerio pravos humores è quibus morbi oriuntur, sensim educi voluit. Postquam ergo fonticulos esse dixit parva ulcera, deditâ operâ facta, ad morbos qui infestaturi sunt aut infestant, tum præcavendos, tum curandos evacuatione, revulsione, derivatione humorum qui

ſupervacui ſunt in corpore, morbis potiſſimùm longis & diuturnis quos humorum abundantia parturit, maximè, ſi ex fluxione originem ducant, conferre ſentit, hacque ratione præ cæteris, quia evacuatione omninò perexigua & ab exiguo ulcere promanante, ideóque ſenſim & in tempore vtilitatem afferre poſſunt; quod non inſervire videtur morbis acutis, phrenitidi, pleuritidi, peripneumoniæ & aliis. Quòd ſi quæras, cum fonticuli, ſi proſint evacuatione, hæcque ab omnibus corporis locis fieri poſſit, num indiſcriminatim in quavis parte fieri debeant; Reſpondet, quod quamvis ſi ſola evacuatio ſpectanda eſſet, cuivis parti inuri poſſent; attamen quia revulſionis & derivationis etiam causâ proſunt, in peculiaribus locis agendos eſſe, maximè vicinis & oppoſitis, ut v. g. in occipitio, ad revellendas ex oculis fluxiones anteriùs retro; in ſutura coronali ad retrahendos humores qui intùs ſunt, extra: In brachiis ad revellendos humores qui è capite deſcendunt in fauces, laryngem & pectus: in cruribus ad renes, lienem, vterum & partes vicinas adjuvandas; ſervandam

quoque rectitudinem partis affectæ aut mittentis ait; sicque fonticulos ad lienem induratum cruri sinistro; ad jecur affectum, dextro; sinistra capitis parte dolente aut aliter affecta in brachio sinistro; dextra verò, in dextro inurendos subdit: quæ omnes sunt probæ revulsionis conditiones, secundùm quas fonticuli debent inuri, & in parte contraria è directo. Sæpiùs tamen in parte affecta aut propinquiore fonticulum se inussisse cum felici successu addit, sed vel ante adventum fluxionis in partem, quæ per fonticulum ita expurgatur, ut eam lædere non ampliùs possit; vel cùm humor est crassissimus, in senibus tumenti & ulceratæ tibiæ supra genu, in coxa, imo & per fistulam quæ à seipsa fonticulus esse videtur, humoris peccantis evacuatione abscessus ossium curatos fuisse addit. Hisque sic explicatis, quibus brachiorum & tibiarum interstitiis inuri debeant, si quæras? juxta venas majores ait, ut ex illis & per has evacuatio fœlicior succedat, ne tamen musculis ad flexionem nocere, sed singulis diebus, bis aut ter si id exigant, admotis linteis, hederâ &

cæteris curari poſſint, ut pluribus videas apud Autorem ipſum, in quo varios modos reperies quibus fonticuli ſine diſcrimine partibus ipſis inuri poſſint.

His omnibus quæ contra inuſtiones & pro iis malè afferuntur, licèt miſeratione potiùs quàm refutatione digna ſunt, paucis ſatisfacere non erit arduum.

Ac primò quod ſummus rerum omnium Architectus neceſſaria emunctoria ad ſuperfluorum expurgationem humano corpori ita præpoſuerit, ut fonticuli pro illorum multiplicatione inſtituendi non ſint, nihil verius. Neque enim fonticuli pro novis emunctoriis inuruntur, ut ſibi perſuaſêre Martianus & Helmontius; ſed pro remediis, ſuppetiis, auxiliis, quibus natura ſi ſegnior ſit vel præpedita, robore inducto & ſolutis impedimentis; per ſolitas vias, eadem nimirum emunctoria ſuperfluorum expurgationi poſſit incumbere. Indéque Hipp. poſtquam humorum differentias expoſuit, & quomodò ſanitati proſunt & nocent, *naturam omnibus omnia ſufficere* ait, id eſt, ex hiſce humoribus naturam quæ Lib. de Alim.

nihil fruſtrà facit, nec deficit in neceſſariis propriam cuique parti ſubſtantiam ſufficere, illius molem tueri, augere, ſuperflua ſi quæ ſint, excretionibus ſecundùm naturam expellere; At quia fieri non poteſt, ut *humana natura univerſi vim ſuperet*; ideſt, At quia fieri nequit ut hominis natura non patiatur ex his quæ in ſublimi natura, id eſt, in aëre immutantur, undè non ſecus ac ab aliis rebus non naturalibus, varios morbos contrahere ſolet, multis eget ad eorum præſervationem & curationem, utque ait Hipp. *Ad eam extrinſecùs accedunt cataplaſma, illitus, unctio, nuditas & tegumentum totius & partis, calor & frigus ad eandem rationem, & conſtrictio & ulceratio, morſus & quod pingue facit. Intrinſecùs autem & ex prædictis quædam & ad hæc cauſa occulta & toti & parti & cuidam etiam, cuidam verò minimè.* Ac primò quidem neceſſaria ſunt *cataplaſma, illitus, unctio*, quæ partes laxando ſubſtantiæ nutriculæ liberiorem viam ſternunt; *tegumentum totius & partis, & calor* externus, quæ toti & partibus neceſſarium robur inferunt, & humorem nutriculum exteriùs movent, aut potiùs

2. Epid.

Lib. de Alim.

ſupervenire faciunt externis partibus alimentum, ab igne, humidum; *Nuditas & frigus*, quæ partes externas refrigerando attractam ſubſtantiam cogunt; apponunt, vniunt, & ut ait Hipp. alimentum ſupervenire faciunt ab aqua, ſiccum. Quòd ſi ea ſit frigiditas partium ob venarum obſtructionem à craſſis humoribus oriundam, quæ ſubſtantiam nutriculam externis partibus vetet appellere, *conſtrictio, ulceratio, morſus*, ideſt, validè attrahentia ſeu cutem ſtipando ſeu ulcerando, ut dropaces, phœnigmi, cauteria & cætera ſubveniunt, quibus inducto partibus ob ignis augmentum robore, victaque humoris pertinaciâ, tanta fit ſubſtantiæ nutrientis attractio, ut fatiſcente partium ſiccitate corpora impinguentur, ſuperflua ſi quæ morbum inferre nata ſint, reſeratis ab igne aucto venarum cavitatibus, obſervato naturalis circuitûs ordine, per ſolitas emunctoriorum communium vias è corpore ſubducantur. *Intrinſecùs* etiam neceſſaria ſunt, ut natura omnibus omnia ſufficiat, ideſt, debitam nutritionem procuret, quædam ſuperiùs ſcriptorum maximè *calor*, qui dum

devolvitur ad partes internas intra somnum, substantiam nutriculam in in eas movet; *frigus* in iis de die ob ignis motum ad exteriora corporis superveniens, quod attractam partibus internis substantiam cogit, apponit, unit; remedia quædam aperientia à propria *occultáque natura*, quæ humores affixos venarum cavitatibus, fraudatæque nutritionis causas submovendo, illi maximè conferunt. At quamvis hæc multis ob debilitatem, quibusdam optimam temperiem sortitis minimè accedunt, ut cætera suo loco explicanda prætereàm.

Cauteria ergo non instituuntur pro novis emunctoriis, quibus natura puerili Medentum præsumptione illorum iussibus auscultatura, ut iocandò scripsit Helmontius; superfluos humores exteriùs pellat, nî adhibeantur tumoribus in pus conversis, ad imitationem naturæ quæ cutis exulceratione materiam putridam exteriùs fugat, sed pro remediis, stimulis, auxiliis, suppetiis, quibus attracto ad partem ægram necessario igne, reseratis ductibus qui obsidentur à crudis succis, *natura omnibus*, partibus *omnia sufficiat*,

ideſt, natura partis nutritioni ut par eſt incumbere poſſit, ſuperflua obſervato naturalis circuitus ordine per ſolitas urinæ ventriſque vias & alia emunctoria à ſummo rerum opifice conſtituta exteriùs pellat, aut calorem ſi noxius ſit, in partes adverſas & oppoſitas ex iis quibus morbum infert, revellat & trahat, ut dicetur ſuo loco. Quòd ſi adoleſcentibus robur & augmentum ſubtrahant, corpora deducant ad tabem, ſenibus vitam breviorem eſſe faciant, mulieribus menſes ſupprimant, ſterilitatem inducant, quis eadem ex rerum nonnaturalium vſu contingere non agnoſcat? Hæc enim vitam tuentur & fovent ſi tempeſtivè & prout decet in vſum veniant, vſu indebito & intempeſtivo morbos & mortem inferunt. Si cauteria in homine pituitoſo & nimis obeſo, ſuperis partibus corporis inurantur, adaucto eorum ope externis ſuperniſque partibus calore, nimia moles præpeditur, corpus ad debitam conſtitutionem perducitur, hoc ipſum atteſtante Helmontio, ex eo quod, ut ait, contemperatur abundantia cruoris, non, ut ſibi imponit, quotidiana & minutula diminutione per

eorum evacuationem facta, ſed quia natura illis tanquam ſtimulis auxiliiſque concitata, veteriſque officij vlteriùs memor, ſuperflua emunctoriis à Deo conſtitutis exteriùs fugat & pellit, ut dictum. Quòd ſi puero, adulto vel mulieri cuivis debitam temperiei proportionem habenti, aut calidiori ſuperis partibus inurantur, tanta vi nativum ignem ad illas trahunt, ſicque tam avidè partium incumbit officio, ut non ſuperflua ſolùm, ſed ad vitæ conſervationem pernecesſaria, non mera diaphæreſi partium externarum, ut imaginatur Helmontius, ſed emunctoriis à Deo præpoſitis fuget & pellat. Hinc corporis augmentum ceſſat, robur ſubtrahitur exoluto igne partibus à natura qui inſito, dum ab externo nimis attrahitur fonticulorum maleficio, oportet ut exolvatur, neceſſaria ad robur frigiditate quæ alterno humoris imperio fieri debet omninò deſtitutus; ut apparet in pleriſque maximè qui conficiuntur à febre hectica; menſtrua ſupprimuntur in fœminis non ſolùm defectu ſanguinis ſuperflui cujus incaleſcentis mulieres ſingulis menſibus purgationem habere

debent ; sed inductâ ob nimiam ignis motionem ad exteriora venis hystericis frigiditate, quæ pituitam interceptionis præcipuam causam fovet, sterilitatem & alios affectus graviores infert, Vt autem morbi qui ex intempestivo rerum non naturalium vsu producuntur exercitio, iustâ parcimoniâ vitæque temperantiâ, & aliarum rerum vsu legitimo sæpiùs curari non possunt, sed confugiendum est aliquando ad remedia quibus illi fugari debeant, sic & ad cauteria; non quidem à prima fronte, nî *extremis morbis extrema remedia adhibenda sint* sed per gradus consulenda natura: Si enim victûs ratione, exercitiis & cæterarum rerum nonnaturalium vsu morbum fugare non possit, remediis internis & externis iuvanda est, venarum sectionibus, cucurbitulis aliisque exoneranda ; Et si his non tollatur affectio, aut ab illis aufferri non posse; naturæ Minister intueatur, ad ignem actualem, tanquam ad sacram anchoram debet confugere, iuxta Hippocratis effatum : *Quæ medicamentum non sanat, ferrum sanat ; quæ ferrum non sanat, ignis sanat ; quæ ignis non sanat, incurabilia sunt.*

1. Aph. 6.

8. Aph. 6.

His facilè patet, quantùm aberraverit Helmontius circa modum & fines cauterij. Cùm enim vtile non sit excretione humoris noxij qui ex eo fieri potest, ut dictum, sed, quæ, illius auxilio à natura validiore facta, solitis emunctoriorum communium viis, institutio cauterij pro objecto habere non potest excretionem prædictam quæ non fit ante escharæ decidentiam; hæc enim non tam naturæ vlceris beneficio causam morbificam, quàm per emunctoria naturalia expellere molientis & rectè agentis indicium est; maximè, quia multiplici experientiâ comprobabitur, in progressu libri, ab institutionis exordio ante aliquam fluxionem morbos nulla alia arte sanabiles prorsùs curasse. Eadem ratione circa medium cauterij multum à vero distat Helmontius dum in illius confectione ferrum, & vulnus ab eo factum igni vel caustico præferendum esse ait, quia actuali calore & siccitate fluxus humorum averti potest. Cùm enim natura medicatrix vlceris, doloris & caloris occasione ad partes accurrat cum igne & sanguine, pluribus titulis stimulisque ad partes

inuſtas quàm ad vulneratas accurrit, unde eæ potentiùs roborantur, maximè ſi virium inopia ab illa ignis procedat; anadoſeos κωλύματα, ideſt, impedimenta quæ humores craſſi venarum interceptione progenerant, citiùs removet, & ſi quid infenſum reperiat, novi humoris in illas confluentis miniſterio auffert, dum novus humor cibuſque & potus vnde oritur, veteris & infenſi medicamentum eſt; juxta Hipp. effatum: *Quæ bibuntur & eduntur alia aliorum medicamenta.* 4. de morb

Quòd ſi in his quæ affert Helmontius de Archeo ſuo ~~medicamenta~~ cujus imbecillitate in parte quavis citra fluxionem è cerebro aliiſque partibus factam morbos inferri docet, tantiſper ſpatiari mihi liceat, ni jejunam prorsùs in grandis ſupercilij viro illo Hippocratis lectionem intelligentia parem animadverterem; *Archei* nomen ab ἀρχὴ, ſive à principio deducendum eſſe crediđiſſe exiſtimarem, hácque in parte non multùm receſſiſſe à verbis Hipp. qui cùm duplex, principium hominis aſſignat, *aquam* nimirum & *ignem*; hunc; ἀρχὴν μεγάλην, ideſt, *magnum principium* eſſe ait, *quod ad* 1. de vict. rat.

Lib. de A-lim. *partem externam pervenit, & ex parte externa ad magnum principium* putà ad suos lares; idest, ad cor revertitur. Hoc autem igne tanquam instrumento natura omnium functionum opifex est, Arist. lib. de respir cap. 2 & ut ait Arist. *igne omnia in corpore operatur*, humores trahit pro nutritione partium, superflua ex iis expellit; quod si ille debilis sit, vel à propria natura, vel præ humoribus qui vires illius infringunt, aut exolvatur præ augmento; partes superfluis humoribus, pituitosis, deficiente igne, aut biliosis excedente; nimiùm scatere & morbos inferri necesse est. Quæ si vera sint quis non videat ad eorum morborum curationem, cauteria juxta partes è quibus fluxio decumbit, & juxtà recipientes inducta, plurimùm inservire, non eductione humoris peccantis per eas facta, sed robore Archei si ità loqui liceat, idest, *animæ tanquam ignitæ*, unde superflua emunctoriis à natura præpositis subducantur; è contrario, si ignis ille exolvatur copia sui, undè partium vires hebescunt, superflua, biliosa potissimùm; congerantur in iis locis: quis non videat; inducto partibus oppositis cauterio, attractó-

que ad illas igne quasi Archeo validiore, morbos calidos præcaveri, curari, quia ad *primam mali causam, causa occasionem & primordia ventum est*, robur scilicet & debilitatem ignis quo anima partem debito calore perfundere non poterat, aut nimiùm perfundebat; quod non vidit Helmontius. 2. Epid.

Ex his apparet quàm longè ab Hipp. mente dicesserint qui nomine fictitio *Archei* ἐνορμῶν Hipp. intelligendum esse promulgarunt, juxta textum: *Quæ continent corpora, aut intùs continentur, aut in nobis cum impetu moventur, consideranda sunt*. Vel enim per partes contentas, similares intelligit, quæ continentur in dissimilaribus quas continentes vocat; per eas quæ cum impetu moventur, vel ut ait Arist. compositionem quæ fit ex elementis præter supra scriptas similarium & dissimilarum intelligit, quia dum elementa moventur in actum, & suum impetum habent, corruptionis causæ sunt; vel per impetum facientes intelligit; ignem & aquam quibus animantia componuntur præter partes alias similares & dissimilares. *Igni enim suus est impetus, & aqua item suus*, Vt pluries à nobis demonstrabitur suo loco. 6. Epid. 8 19. 2. de part. Anim cap. 1 1. de vict. rat.

Quod ſpectat ad rationem quam Martianus afferre ſibi videtur ex Hipp. ut probet morbos cerebri, ulceribus ad brachia, vt ad caput & collum inuſtis, anteverti non poſſe quia humoribus illorum cauſis ad brachia ut ad caput & collum protruſis curari non poſſunt defectu commercij vaſorum cum brachiis æque ac cum collo & cervice, Hippocratis doctrinam parùm ſapit, quæ ut intelligatur: notandum eſt, omnes partes corporis tam ſuperiores quàm inferiores venarum & arteriarum miniſterio ſibi invicem conſentire ad unam humoris confluxionem, quæ una *aëris* in eo ad *ignea gravitantis* conſpiratione fit, unde Hipp. ait: *Viam ſurſùm & deorſum*, ideſt, quâ ignis & humor ad ſuperas inferaſque partes tum internas tum externas venarum & arteriarum beneficio deferuntur, *vnam eſſe*. Vt ergo ſi partes ſuperiores ſolo ignis ad eas ſeſe nimium efferentis incendio doleant, ulcera cruribus, tibiis, aliiſque partibus ſub diaphragmate inuſtâ ignem ad ſeſe trahendo dolorem auſferunt; ſi partes ſuperæ maximè cerebrum à craſſis & pituitoſis humori-

Ariſt. lib. de mot. anim. cap. 6. Lib. de Alim.

bus impleantur, iisque pro orgasmo ob validas externi frigoris aut caloris injurias in partes subditas depluentibus, morbos infernis non modò partibus, sed supernis effundant, vlcera capiti, cervici, brachiis inusta ab iis liberant. Horum enim occasione ignis nativus in cerebrum pituitæ fontem validiùs fertur, illud apprimè roboratur, κωλύματα, ideſt, impedimenta quæ ſunt in venis undè prohibetur anadosis superfluorum in emunctoria quæ iis expurgandis natura præposuit, ventrem præ cæteris & vesicam prorsùs removet, & venarum solutarum ministerio ad illa pellit & fugat; quòd si verum sit, quis inustis brachiis æquè ac collo & cervici, ab iisdem morbis præservari se posse non videat, cùm ex utrarumque partium, fortiùs tamen ex superiorum inustione calor nativus trahatur ad cerebrum è quo fluxiones humoris auffert, ut nec immeritò Martianus à veritate & ab Hippocratis mente non parum recesserit, dum humoris morbum inferentis revulsionem non in emunctoria communia, vesicam & ventrem præ cæteris venarum ope, sed in glandulas capitis &

colli agendam esse sibi persuasit : quod ità falsum esse pandit experientia, ut si prædictæ glandulæ fluxionibus è cerebro humentiore deciduis intumescant, & doleant, alio remedio vix liberentur faciliùs quàm cauterio cervicis & colli, cujus occasione, involante ad cerebrum pituitæ fontem plurimo igne superfluus humor è glandulis intumescentibus sensim solutis venarum impedimentis si quæ sunt, ad
Lib, de Flat. illud retrahitur, *sanguis enim ad maximè calidas partes concurrit, hique sunt hujus saltus*, & ex eo per venas seu aquæductus in communia vesicæ & ventris emunctoria præ cæteris expurgatur, vix diuturno spatio temporis, caustici humiditate è corpore secessurus.

Quòd si sedula interpretatione textûs in quo divinus Vir ustionum fundamenta præ cæteris posuit, rem di-
Lib. de Humor. rimere quis velit, Hipp sic effatur: *Qui sanguinem per ora venarum quæ sunt in ano profundere solent, ij neque lateris dolore, neque pulmonis inflammatione, neque ulcere exedente (phagedænam vocant) neque furunculis corripiuntur, neque tuberculis quæ à ciceris similitudine therminthi*

*therminthi dicuntur, ac forte ne lepra quidem, fortaſſis verò neque vitiliginibus. Intempeſtivè tamen curati multi, non ita multo poſt, huiuſmodi morbis correpti ſunt, atque ita perniciosè habuerunt quod in reliquis abſceſſibus contingit, velut fiſtulis quæ aliorum medela ſunt. Quæ ſedare ſolent cùm poſteà apparent, ea ſi priùs fiant, impedimenta ab iis liberant. Cum aliis communionem habent ſuſpecta ad excipiendum loca, aut ob dolorem, aut ob gravitatem, aut ob aliud quidpiam & liberant.* Ideſt, ſi quis ſtato tempore atram bilem excernat per venas hæmorrhoïdales, rarò labitur in plevritidem, peripneumoniam, phrenitidem & alias affectiones quas Hipp. *Febres quæ dolores eximios comitantur,* indigitat, & malignas eſſe ait his verbis, *ex doloribus obortæ febres, malignæ ſunt,* ut potè cùm oriantur ex humoribus febri improportionatis, ex atra nimirum bile quæ unà cum flava unde febris fit, venulas partium intercipit, & cùm per hæmorrhoides excernatur facto intra venas impedimento ignem partibus ſiſtere nequit, ut dolorem eximium cum febre inferat; liberatur pariter ab iis morbis qui effuſâ Lib. de nat. hom. Coac.

è venis divulsis in partium aut universi corporis substantiam atrâ bile progenerantur, ut ulceribus, corrosivis, carcinomate, furunculis, therminthis, leprâ, evacuato per hæmorrhoïdes humore atro, similiter quo cum sanguine venis divulsis præternaturam effuso hi affectus erumpunt. Ne quis ergo intempestivæ hæmorrohïdum curationi sese committat, unde retento humore atro hos affectus incurrat, ut aliàs *Alcippus* phrenitidem. Idem cavendum in aliis humorum effluxibus per fistulosa ulcera concitatis. Ut enim hæc, ideft, ulcera prædicta, à morbis quos humores pravi sua retentione generarent, penitùs liberant, dum à natura producuntur, ut vulcera capitis in puello, à morbis qui à cerebro intra uterum non satis expurgato fieri possent, asthmate, epilepsiâ, fluxu alvi cerebrali, & cæteris; si illi & similes hominem insiliant ob impedimenta (κωλύματα scripsit) venarum, atræ bilis per hæmorrhoidas sese ad morborum præcautionem exteriùs efferentis æmula, quibus superfluorum anadosim in emunctoria fieri prohibetur; ulcera juxta partes prædictas aut illis

respondentes exteriùs concitata, fonticuli, setones & alia ministerio ignis quo illorum occasione partes corporis ita validè perfunduntur, ut natura quæ illius ministerio, *omnia in corpore operatur*, venarum solvat impedimenta & superfluorum anadosim procuret in emunctoria, à morbis anteà dictis præservant & liberant; & si intempestivè removeantur & exsiccentur, novo causarum maleficio quod concitari patiuntur, denuò fovent. Quòd si quæras quibus de causis humores moveantur? Tribus potissimùm subdit Hipp. quibus impedimenta aufferuntur, & partes liberantur: 1. Dolore quem inustiones, fonticuli, setones, scarificationes concitant, accurrente ad illius medelam naturâ cum igne & sanguine copioso, quibus diluto humore crasso qui è sociorum compage solutus erat, venarum impedimenta cessant, interceptiones dissipantur. 2. Gravitate, cùm scilicet humor proprio pondere in locum declivem fertur, ut sanguis ater in venas hæmorrhoïdales, crurum & pedum, insita gravitate motionis initium suppeditante; unde si quæ sint impedi-

Arist. lib. de resp. cap 2.

menta in venis ab eo humore, penitùs cessant, & febres malignæ & morbi congeneres præcaventur. 3. Naturæ similitudine: Indè pituita facilè trahitur & ascendit in cerebrum, quod illius metropolis est; ater humor in lienem qui illius principium & finis est; bilis ad jecur eadem ratione, & ex eo in alvum; quia illius locus sub jecore est; transfertur etiam perfacilè ad aures participes naturæ osseæ quæ à pingui bilem referente procedit, verus sanguis ad cor quod illius est fons, ut dicetur inferiùs; omnes humores è privatis fontibus in ventrem qui magnus & publicus est omnium fons & maris facultatem habet ad superfluorum expulsionem retroferuntur, maximè si hæ partes, idest, privati fontes inustionum beneficio, ignísque motione in eas ulteriùs factâ validiores sint; tunc enim fortiùs solutis à calore vasorum impedimentis, anadosim superfluorum ulteriùs promovent, & à morbis quos inferrent, præservant & liberant.

Idem accidere videtur iis partibus quæ inustionum beneficio vindicantur à morbis quos venarum impedimen-

ta interceptionésque parturiunt, quod fistulis partium carnosarum, ex aquarum mineralium largo usu generantur illæ, utplurimùm ex eo quod humores cum in partes effluxerint ministerio *humiditatis quæ alimento vehiculum præbet*; venulis interceptis superflua humiditas unà cum sociis humoribus gradum revocare non potest, ut venarum majorum ope in ventrem & vesicam ferátur: uno verbo, quia pars torpet, *omniumque*, ideſt, novi & veteris humoris *confusio fit*, ut ait Hipp, quibus ad exteriores corporis partes viam agentibus fistulæ erumpunt; quòd si quis stato tempore largâ aquarum vitriolatarum potione succurrat, his venulas omnes solidámque corporis substantiam longè latéque pervadentibus, & ex ea ad ventriculum quem maris facultatem habere diximus, & in intestina redeuntibus, referantur ductus, & humores qui in fistulam efferebantur cum iis extemplò retroferuntur in ventrem, unde fistulæ cessant humescere. Hunc casum nuper contigisse vidi in Senatore quodam illustri eximiíque judicij, cui cùm in febre maligna è metastasi crassi hu-

Hipp Lib. de Alim.

Hipp 6. Epid.

moris orgaſmum habentis ad externam partem thoracis ſuperiorem ſterno fiſtula exorta eſſet, aquæ flaveſcentis & ſenſim effluentis lachrymatione conſpicua, uſu aquarum Vallenſium à me præſcriptarum, altera die ſanata eſt; obſtupuit ille celeritate curationis quam vix diuturno temporis ſpatio fieri poſſe exiſtimabat, graves intemperies viſcerum quæ illam fovere poterant, remediorum longitudine ſuperari debere ratus: quærit à me undénam illa? Vtque contigiſſe aio, reſeratis, aquarum mineralium largiore potu, venulis per quas humor ſuperfluus retroferri non poterat in venas majores ut ex iis in communia veſicæ & ventris emunctoria laberetur; hoc ita ſibi eveniſſe, & interiùs ita ſenſiſſe ab ea die quâ mineralibus undis ſeſe commiſerat, conſtanter aſſeruit. Eadem arte rubores oculorum altera die uſu aquarum mineralium ſanatos vidi, ſolutis illarum ope impedimentis venarum; unde retento igne affectio ducebat originem. Idem contingit inuſtis juxta partes ob vaſorum interceptionem laborantes, aut humoris cujuſ-

vis fontem cauteriis. Horum enim lenocinio, nativus ignis tam validè ad venas vel ad partes attrahitur, vt interceptionem & morbos ex iis enatos prorsùs cessare necesse fiat Sic ileus, vteri suffocatio, colica, admotis ad ventrem, pubem, crura, tibias causticis, præcaventur & conquiescunt, ut dicetur in progressu libri, ut cæteros morbos silentio prætercam.

Quod spectat ad Hieronymum Fabricium & Zacutum, quamvis fonticulos probare videantur in morbis quibusdam, falso tamen nixi fundamento, putâ quod pravorum humorum morbos inferentium subductione à seipsis facta prosint, à veritate multùm aberrant. Indéque est, quod in chronicis tantùm affectibus maximè fluxionum sequacibus inurendos censeant, non in acutis, quod repugnat veritati. Cùm enim doloris, ulceris & caloris occasione ignem nativum trahant ad partes quibus affiguntur, unde fit, vt hæ si ab humoribus opprimantur, inducto robore, sese faciliùs liberent per naturales ductus quos iis exturbandis corpori natura præposuit, caloris revulsione gravi,

repentinis & acutis morbis quarumdam partium qui ab illo fiunt, mirè prosunt; quemadmodum ergo fonticuli occipitio inusti caput roborando attractione valida ignis, morbos oculorum apprimè fugant; quia, ut dictum, cerebro validiore facto, natura igne adjuta superfluos humores illorum causas naturalibus emunctoriis foras protrudit, & ad oculos depluere vetat; fluentéque ad brachia, pectus & laryngem catarrho, admotis ad brachia causticis idem contingit; attracto ex intestinis ad caput igne, cujus valida motione varij humores per os & alvum efferri solent, utque ait
3. de Hipp. *refrigescente ventre inferiore, su-*
morb. *periore verò incalescente* cholera & diarrhæa conquiescunt, licèt affectus sint acutissimi, ut dicetur in progressu exercitationis, experientia ab ipso Zacuto facta in morbo choleræ citra rationem, ut ait, alióque distractâ naturâ.

Eadem ratione in morbis jecoris, lienis, uteri, infernis partibus, ut cruribus & tibiis cauteria debent inuri, ut attractus eorum occasione ad partes inferas ignis nativus super-

fluos humores naturalibus emunctoriis possit expellere; indéque fit, ut affectus acuti qui ab incendio capitis proficiscuntur, ut vigiliæ nimiæ, delirium simplex, illius partis temperatione, nî quid aliud obstet, prorsùs desinant. Quòd si rectitudo servanda sit in fonticulorum inustione, non ideò ut humores per illos faciliùs è corpore subducantur, sed quia dextra, dextris; sinistra, sinistris magis respondent, ob communionem vasorum quorum *via sursum & deorsum*, idest ad supernum infernúmque corporis ambitum & ad ventrem, *una est*, ut dictum: undè fit, ut cum igne humorem nutriculum sibi invicem faciliùs communicent, qui *veteris & morbosi* quem per naturales vias propellunt, *medicamentum est*, imitante naturâ *serrâ secantes*, quorum unus pellit dum alter trahit; hacque ratione quamvis eodem tempore quo ignis nativus è partibus inferis ad superas eorum lenocinio trahitur, utque ait Plato, *ad naturam suam emigrat*, ad utrasque capitis partes moveatur; Attamen quia eodem vigore non fertur ad oppositas, tam citò dolori levamen

1. de vict. rat.

In Tymæo.

afferre non poteſt, non ſecus ac pleuritidi venæ ſectio è brachio parti dolenti oppoſito facta, non tam tutò nec tam citò remedium affert quàm ex alio. Idem contingit in fonticulis qui applicantur ad morbos partium inferarum partibus inferis. Si enim jecore affecto eidem corporis regioni, cruri dextro aut tibiæ ejuſdem lateris inurantur liene laborante eidem regioni corporis, cruri ſiniſtro aut tibiæ ejuſdem lateris, ignem nativum parti ægræ validiùs trahunt, quàm è locis oppoſitis, inductóque graviori robore, morbos, cauſarum ſubductione non à ſeipſis ſeu aquæductibus, ſed communibus emunctoriis, humoris nutriculi ad eaſdem attracti beneficio facta prorsùs eliminant. Quòd ſi cauteria infigantur parti dolenti aut ſupra partem ipſam, morbus non ideò præcavetur, quia humor in partes fluens à fonticulo ſubducitur, ut ſibi perſuaſit Fabricius; ſed quia pars validior facta naturalibus veſicæ ventriſque viis catarrhum ſibi alioquin infenſum pellit & fugat; hacque arte tibiarum dolor & tumor admoto cauſtico ſupra genu remittunt & ſubſident, attracto ad

partem dolentem tumentémque illius occasione plurimo igne quo sensim robur adepta humorem infensum à se per naturales vesicæ ventrisque vias humoris nutriculi beneficio expellit. Quæ omnia eò faciliùs accidunt, si cauteria juxta venas in quas humores infensi veteresque caloris & humoris novi ministerio moveri possint, admoveantur, cautè tamen, metu erosionis earum vel à caustico, vel ab humorum effluentium acrimonia, ut dicetur in fine Libri. Quòd si fistulis abscessus ossium sanatos esse Fabricius viderit, id factum sensim stillante, ut fit aperto empyemate, per carnem fistulosam materia putrida, quis non videat? Disparique ratione à fonticulis, quibus licet parum humoris, imò & aliquando vix quidquam excernatur, graviores morbi, quos ingens humoris abundantia peperit, momento temporis curati fuêre, ut posteriùs demonstrabitur.

Cùm ergo inustiones tantùm valeant in præcautione & curatione morborum, *Lector*, jure meritò de iis scribere quantùm licuit ad Hipp. mentem decrevi, non ut sub tanti Viri

ſuffragiis inſufficientiæ in condendis emunctoriis & ignorantiæ Deum incuſem, abſit enim : Sed ut expoſitâ ratione quâ quiſquis fœliciter præſcribat, ſanior orbis ſupremo rerum Architecto gratuletur in poſterum, ex eo quod doctrinam tuendæ ſanitati fugandiſque morbis perneceſſariam è puris fontibus illius haurire tandem conceſſerit. Vt autem inſtituti mei rationem accipias, *Lector*, hunc Tractatum in quinque Libros diſtribuo; in quorum primo, ubi de Hominis & de Inuſtionum natura tantiſper laconico ſermone diſſerui, de inuſtionibus, agendis, ratione habitâ temperiei, molis corporis, ætatis & morborum in communi, de catarrho ad cujus & morborum ſequacium curationem inuſtiones præ cæteris agendæ ſunt, ſcribere debui, ut deliramento quod Helmontius in medium afferre non erubuit, veram Doctrinam & Sapientiam opponerem. Tum morborum diviſionem Recentiorum ſecutus, quo modo ad ſingularum partium morbos uſtiones agendæ ſunt, expoſui : non ut illis præſcribi velim nî gravioribus &

post alia remedia maximè generalia, si opus sit, sed ut inustionum beneficio de morborum magnitudine & levitate judicium afferatur. Si quis enim morbo conflictetur, cujus præservationi fonticulus quem gestat, debuerat incubuisse, is graviore morbo tenetur, propter recessum majorem à naturali statu quem fonticulus impedire non potuit, qui proindè conservandus & augendus, ne sua siccitate morbum augeat; minore, si ea affectione laboret, in cujus producendi suppetias fonticulus venire potuerit, qui proindè exsiccandus à prima fronte ne morbum foveat. Aderunt prætereà à minutula enarratione morborum à me allata duo non parvi momenti. Primum: quo quisque cavere poterit, nedum levi morbo remedium putà inustionem afferre intendit, graviorem morbum inferat: Alterum, quod ex inustionibus quas ad morborum curationem præscribo, quisquis in iisdem nullo negotio intelliget ad mentem Hipp. è qua vena mittendus sanguis, quibus locis admovendæ cucurbitulæ, hirudines, frictiones agendæ, quas partes internis externisque

remediis excalefacere, quas refrigerare conveniat. Nolui autem de inustionum duritie aut levitate impræsentiarum quidquam afferre, cùm ne verbum quidem sit apud Hipp. hæcque à morbi magnitudine aut parvitate, partisque affectæ natura sint æstimanda. Quod si plurima reperias, *Lector*, in hoc Libro quæ à vulgari quidem Doctrina, non item à veritate recedere arbitreris. Ex ipso enim Hippocraticæ Pathologiæ statim à Physiologia nostra prælo edendæ viridario excerpere volui, ut horum præcoci amœnitate & dulcedine, non secus ac florum varietate & pulchritudine videntium oculis, legentium animis placere possim. Vale & Fave.

# HIPPOCRATES
## DE INVSTIONIBVS, SIUE FONTICVLIS.

### LIBER PRIMVS.

### SECTIO PRIMA.

*De natura hominis & inustionum.*

INVSTIONVM nomine sinapismos, vesicatoria, setones intellige, sed præcipuè fonticulos, qui concitantur in variis partibus externi corporis, vel igne potentiali, (causticum nominant) vel actuali, candente nimirum ferro aut alio quovis

inſtrumento, vel ferro ſimpliciter, quo, à vulnere ulcus infertur.

Inserviunt præcavendis curandiſque affectibus præternaturam tum internis tum externis, ſed quos cauſarum interiorum vitia parturiunt.

Sunt autem illæ, ignis & aqua, ideſt, & quatuor humorum maſſa, unde aliæ, flatus præ cæteris, trahunt originem.

Hipp. 1. de vict. rat. Vt enim hominum natura *duobus conſtat, facultate quidem diverſis, uſu verò conſentientibus, igne nimirum & aqua*; ille in ſiniſtro cordis ventriculo lares obtinuit, è quo, *fluminis inſtar præ celeritate deliteſcentis*, arteriarum beneficio uniuerſum corporis ambitum neceſſario calore perfundit; & *omnia movet*, ideſt, cujuſque naturæ motus animales, vitales & naturales agit; (Arist. lib. de respir. cap. 4; Hipp. 1. de vict. rat.)

Hæc generatur in ventriculo ſub ſpecie chyli quem Ariſt. *ſanguinem concoctum* indigitat, perficitur in hepate, è quo univerſi corporis ſubſtantiam humectat & rigat, utque ait Hipp. *omnia nutrit*, quatuor fontium à natura præpoſitorum & venarum ſeu aquæductuum miniſterio. Alius autem fontium eſt hepar quod bilem cujus eſt principium & finis à ſociis humoribus (4. De gener. anim. cap. 4; 1. de vict. rat.)

non secretam, sed iis prædominantem & à ventriculo pleno susceptam in partes congeneres effundit, reliquias ex iis trahit, & ut per vesicam & intestina subducantur, in ventrem refundit. Idem præstat caput circa pituitam; lien circa humorem atrum; cor circa verum sanguinem, quorum humorum principia & fines sunt. Inde Hipp. ventriculum animantis non modò *magnum omnium fontem esse qui omnibus dat & ab omnibus accipit*, sed *maris facultatem habere* ait; dum ex illo tamquam è mari omnia megalocosmi flumina, omnes humores, seu viventis naturæ & microcosmi flumina exeunt per universi corporis habitum diffunduntur, & ad locum è quo exierunt, revertuntur, ut iterum fluant, sed quatuor humorum fontes quos *illorum principia & fines* esse ait, hisce verbis descripsit. *Ventriculus ubi plenus existit, omnium in corpore fons est, vacuus verò ex corpore tabescente haurit. Sunt autem etiam alij quatuor fontes, ex quibus horum quisque in corpus procedit. Postquam igitur hi fontes è ventriculo acceperint, ipsique vacuati fuerint, ex corpore hauriunt. Trahit quoque ipsum corpus, cùm quid*

1. de vict. rat.

Lib. de Alim. 4. de morb

*ventriculus in se habuerit. Sanguinis quidem certè fons est cor; pituitæ, caput; aquæ, lien, bilis locus in jecore est. Atque hi sunt quatuor humorum fontes præter ventriculum.*

Vt ergo hominum natura hisce duobus principiis constat, igne nimirum & aquâ, iisdem varias temperies sortitur, ætates percurrit & morbos patitur, quos Arist. indigitavit *morbos ignis & roris, qui seipsos curant; ros, morbos ignis; ignis, morbos roris.*

3. Probl. 59

Hipp. 1. de vict. rat.

Sortitur calidam siccámque temperiem si *quod in igne est maximè validum & in aqua tenuissimum temperaturam adeptum fuerit*, ideſt, si flava bilis cum igne multo cæteris humoribus superior fuerit.

Frigidam siccámque temperiem obtinet, si *ignis rarissimi & aquæ siccissimæ temperationem acceperit*, ideſt, si humor melancholicus cæteris superior cum igne tenui associetur & imperium teneat.

Frigidam humidámque naturam obtinet, si *aqua crassissimæ & ignis tenuissimi temperatio in corpore facta fuerit*, ideſt, si pituita cum igne tenuissimo in temperatione prævaleat.

Calidam denique & humidam ſortitur temperiem, ſi *quod in igne eſt humidiſſimum & in aqua denſiſſimum temperaturam in corpore acceperit*, ideſt, ſi ſanguis verus cæteris humoribus ſuperior ſit, & tenui portione ignem natiuum, non tamen admodum validum, ſed in medio poſitum in corde nutriat, & quaſi humectet.

Iiſdem principiis parem ac veluti ad pondus, ſed mediocrem proportionem adeptis, utque ait Hipp. *Si corpus humanum temperationem ex aqua tenuiſſima & igne rariſſimo adeptum fuerit, ſaluberrimus habitus fit*, qui neque in victûs, ætatis & annorum mutationibus facilè morbos incurrit, dum *utriuſque principij generationem & copioſam repletionem ſuſcipere poteſt*, ideſt, dum iiſdem principiis per cauſarum intemperantiam adauctis præ mediocritate à ſtatu naturali recedere vix in tantùm poteſt, vt actiones naturales lædantur, *aëriſque rariſſimi & molliſſimi inſtar quod plurimum temperamentum recipit, & optimum redditur ſanus omni tempore uſque ad quadrageſimum annum perſeverat, quidam verò uſque ad extremam ſenectutem.*

E contra si corpus iisdem principiis veluti ad pondus, sed nimiùm exuperantibus & consistentibus in supremo, utque ait Hipp. *igne validissimo & aquâ densissimâ temperetur*, athletica natura in scænam prodit, quæ ad minimam eorum principiorum, aquæ nimirum & ignis, augmentationem quæ à prædictis mutationibus fit, cujusvis generis morbos eorum soboles patitur, nisi citò solvatur; *cùm enim non possit proficere in melius*, quia in
1. A- summo est, *neque quiescere* ob perpe-
ph.3. tuas causarum mira vicissitudine corpori occurrentium pugnantiúmque vicissitudines, *reliquum est ut in deterius prolabatur*.

Iisdem principiis intra decursum annorum imperium vicissim obtinentibus, variæ ætates se produnt; sanguis enim cum igne mediocri prædominatur in infantia; bilis, cum igne valido in juventute; melancholia, cum igne tenui, in ætate provecta; pituita, cum igne tenuissimo, in senectute.

Idem statuendum de variis hominum formis: Iisdem enim principiis in externa magis quàm in interna

corporis circumferentia & viceversa è naturæ præscripto conspicuis, generantur varij habitus, aliique hominum graciles sunt, quorum natura præ externi corporis frigiditate quæ ignem & sanguinem in illud moveri vetat, gracilis est & sicca & proportione respondet hyemi, interiùs respondet æstati: Alij obesi & pingues quorum natura præcalida externi corporis temperie, obesa & humida est & proportione respondet æstati, interiùs respondet hyemi. Indeque ait Hipp. *qui calido sunt ventriculo frigidas carnes habent & graciles exiſtunt, iiſque venæ prominentes apparent, quibus repugnant obeſi & pingues.* 6. Epid. sect. 4 text. 23.

Quòd si hæc principia ob graves causarum externarum vel internarum injurias qualitatibus peccent, exuperent, deficiant, variæ morborum differentiæ, intemperies præ cæteris fiunt. Si ignis calore suo nimiùm superet, calida; si hebescat à frigiditate aquæ, cùm remissa apud Philosophos dicantur contraria, frigida; si aqua sine ignis detrimento superet, humida; si verò deficiat, sicca.

Si verò *quod in igne est tenuissimum & in aqua crassissimum, temperationem obtineant*; ideſt, ſi verò pituita cæteris humoribus ſuperior leviſſimo igni è corde influenti in partibus ita aſſocietur, ut inde actiones naturales lædantur, intemperies frigida ob ignis inopiam & humoris frigidioris exuperantiam humida ſe prodit.

Si *quod in igne est humidissimum & in aqua densissimum prædominetur*, ideſt, ſi ignis cum vero ſanguine imperium teneat, unde actiones lædantur, calida humidáque intemperies fit.

Si *Quod in igne rarissimum est & in aqua tenuissimum prædominari* contingat, ideſt, ſi humor melancholicus cum igne tenui ſuperior ſit, & actiones naturales lædantur, intemperies ob ignis raritatem & inopiam frigida, & ob humoris ſicci exuperantiam ſicca hominem angit.

Si *quod in igne est validissimum & in aqua tenuissimum*, pluſquàm par eſt *dominari* contingat, ideſt, ſi flava bilis cum igne valido cæteris humoribus ſuperior fiat, & naturales actiones lædat, calida intemperies ob ignis copiam, & ob bilis exuperantiam ſicca ſe prodit.

Nec mera ab hiſce principiis per qualitatum exuperantiam àut defectum corporis intemperies enaſcitur, ſed iiſdem humoribus à ſolita compage ſolutis, ſecretis, aut in flatum actis, varij morbi erumpunt; â bile flava ob hepatis vitium non benè diſtributa, bilioſi; ab atra bile vitio lienis congeſta ſecretáque à cæteris humoribus melancholici;à pituita vitio cerebri in partibus ſtagnante, pituitoſi, quique externi aut interni; à variis humoribus aut flatu alióve corpore ex iis enato, alij morbi, obſtructiones venarum præ cæteris, quæ ſi graves ſint, retento igne qui ex arteriis in illas, fertur jugi circuitu, utque ait Hipp. arteriis ob venarum anguſtiam *ignem ſuperevomentibus*, & humoribus in partium ſubſtantiam præternaturam effuſis, inflammationes, tubercula, aliíque tumores producuntur; ut ulteriùs dicturi ſumus agentes de morbis partium, maximè de phrenitide; hoſque omnes affectus varia ſymptomata comitantur, de quorum præcipuis inferiùs differetur.

Hi affectus præcaventur & eradicantur variis artibus & remediis, inter

quæ non ignobilem locum tenent inuſtiones, ut dictum. Quod ſi quis petat, qua ratione id præſtent:

Errant mehercule toto cœlo, qui morborum materiam ex iis educi, utque ridendo aiunt, perſonaliter in iis comparere debere Medentum arbitrio jactitant. Neque enim alio modo affectus ſuos agunt in corpore quàm caloris incremento & decremento: Incremento in morbis roris quos ignis curat, ſi admoveantur juxta partem affectam, aut illi reſpondentem; decremento, in morbis ignis qui ſanantur à rore ſi adhibeantur juxta partem oppoſitam; quod
6. E- Hipp. expreſsè docuit hîc verbis: *Im-*
pid. 5 *pensè calido corpori, cibo interna refri-*
34. *geratio comparatur, ſole, igne, veſtitu, æſtivo tempore; externa noxa, contrario verò contraria conveniunt.* Ideſt, corporis in interna ſuperficie nimiùm incaleſcentis remedia ſunt, cibus potuſque refrigerans, qui ſimilem temperiem inferre poſſunt; veſtitus, ſol, æſtivum tempus, quibus calor ab internis ad externa ſollicitatur, unde interiora refrigeſcunt; *externa noxa* ut cauſtico vel ſcalpello alióve corpore

pore inducta, ad quam dum natura medicatrix validum ignem unà cum sanguine ex aliis sedibus corporis defert, quibus *dolorum incitabula propulset*, venas aperit & illarum solvit impedimenta, superflua in vesicam & ventrem perducit, aliisque partibus è quibus ignem revellit unà cum humore, frigiditatem & siccitatem inducit. Arist.

Inserviunt ergo inustiones non eductione cujusvis humoris peccantis ex iis facta; nì ad hunc finem instituantur, ut fit aperto tumore & empyemate, sed lenocinio ignis quo natura validior facta morbos roris eliminat, venarum solvit impedimenta, eas reserat, superfluorum anadosim promovet, & *nutritionem* præstat *superveniente alimento, ab igne, humido*; dum in partibus oppositis augmento roris, morbos ignis eliminat; si partibus infernis admoveantur, vigilias, delirium simplex; si juxta collum & caput, diarrhœam, choleram, dysenteriam, & cæteros, ut dicemus in progressu libri; quia in hisce partibus nutritio *superveniente alimento, ab aqua, sicco*, meliùs fit; *erumpit* 1. de vict. rat. 1. de vict. rat.

Lib. de Car. enim ex illa, *quod satis est frigidi ut seipsam condenset*, cogat, assimilet & morbos ab igne oriundos curet.

## SECTIO II.

### *De inustionibus ratione habitâ naturæ, molis corporis, ætatis, & morborum in communi.*

Lib. de Car. HIs jactis fundamentis, utque ait Hipp. *communi hoc posito* pro doctrina inferiùs afferenda *principio*, difficile non est eruere communes regulas quibus instructus quispiam, inustiones fœliciter præscribat.

Ac primò quod spectat ad corporis temperiem: Pituitosis naturâ & morbo, nî quid obstet, faciendæ sunt capiti, collo & partibus vicinis, quibus calor nativus attractus superioribus locis, cerebro quod pituitæ fons est, necessarium robur inferat, ut prædictum humorem cæteris prædominantem & naturæ gravem è ventre faciliùs trahat, partibus congeneribus distribuat, reliquias unde mor-

bi progenerantur, obſervato naturalis circuitus ordine, in alvum & veſicam refundat, ut ex iis exteriùs propulſentur.

Bilioſis naturâ ex morbo, nî quid etiam obſtet, faciendæ regioni hepatis aut partibus vicinis inferioribus, ſed conſentientibus, putà cruri dextro aut tibiæ, quibus calor nativus attractus ad eam corporis ſedem ubi principium eſt & finis bilioſi humoris è cæteris ubi gravior erat, neceſſarium robur inferat, quo bilem è ventre pleno faciliùs trahat, partibus ejuſdem naturæ diſtribuat, reliquias unde morbi generantur, obſervato naturalis circuitus ordine, in alvum & veſicam refundat, ut ex iis è corpore propulſentur.

Melancholicis naturâ & morbo, nî aliud impediat, faciendæ juxta lienem aut partes inferiores, viciniores, conſentientes, ut tibiam ſiniſtram vel crus, quibus calor nativus qui alicui alij parti gravior evaſit, derivetur ad eam ſedem ubi principium & finis eſt atræ blis, neceſſarium robur inferat, quo prædictum humorem è ventre pleno faciliùs trahat, partibus ejuſdem

naturæ diſtribuat reliquias unde morborum ilias ſe prodit, obſervato naturalis circuitus ordine, in alvum & veſicam propellat, ut ex his è corpore ſubducantur.

Sanguineis naturâ & morbo, nî quid aliud contraindicet, cauſtica brachiis inurenda, quo cor vicinarum partium miniſterio & ulceris lenocinio calorem quo reliquæ partes exolvuntur, ad ſeſe faciliùs trahat, unde ſanguinem è ventre pleno alliciat, diſtribuat, & ut ſuperiùs dictum, reliquiæ, obſervato naturalis circuitus ordine, in veſicam & alvum deſcendant.

Hipp lib. de Flat. Ut enim ait Hipp. *Obſcuriſſimos & maximè difficiles morbos opinio magis quàm ars judicat, etſi in his plurimum imperitiæ peritia præſtet; in quibus ſanè hoc præcipuum, quænam ſit morborum cauſa, ex quo principio ac veluti fonte corporis vitia oriantur; qui enim morbi cauſam cognoverit, is utique ex his, quæ in corpore inſunt, adepta per contraria morborum cognitione, facilè poterit, quæ conferunt, offerre. Ipſa enim ars medica maximè à natura ineſt.* Si ergo morbi fiant à pituita aut ab aliquo alio humore ob vitium fontis non

rectè distributo, succurrendum, habitâ ratione fontis, cui, inducto, ustionum beneficentiâ debito robore, quis à morbo præservari & curari poterit, ut dictum.

Idem censendum de ætatibus. Puellis vix inuruntur, nisi locis vicinis cerebro, ut humor pituitosus qui ex ea corporis sede intra uterum non satis expurgata in cæteras effunderetur & morbos pareret, naturalis circuitus ordine ut par est observato, subducatur. Si enim ex ea parte corporis in alvum descendat, diarrhœam cerebralem infert; si in venas costarum nutriculas, his genio fraudatis, dorsum incurvat; si in vasa pulmonum; his interceptis, asthma immedicabile, veluti per paroxysmos invadit; aut cordis palpitatio; si in venas & arterias posteriores cerebri, iis interceptis, comitialis morbus convulsionum & aphoniæ filius erumpit; ut videre est apud Hipp. *lib. de morb. sacr.* Attamen cùm adoleverint, ad robur cordis & capitis, & sanguinis expurgationem, inustiones brachiis non inutiliter inferentur.

Juvenibus, ne bilis errore distributionis quæ ab hepate fit tanquam

humoris principio & fine in ea ætate ſæviat, juxta hepar, crus dextrum vel tibiam.

Ætate provectis ne ater humor invaleſcat non ſatis expurgata à ſuo fonte, juxta lienem, crus ſiniſtrum aut tibiam.

Senibus ne pituita ingraveſcat, juxta caput & partes vicinas; omnibus tamen idem præſtetur, nî quid aliud contraindicet, ut dicetur poſteriùs.

Par ratio molis quam quiſque habet à natura: qui enim graciles ſunt in regionibus temperatis, cùm exterior eorum habitus proportione reſpondeat hyemi, unde ſomnolenti ſunt, vigilias & hyemem difficilè ferunt, potui minùs indulgent quàm cibo, quo vix benè ſaturantur, inuſtiones facilè gerunt in ſuperis corporis ſedibus, capite, cervice, ſi multùm frigidi ſint hac parte, brachiis, ſi non multùm; quibus natura medicatrix moveatur ad partes ſuperas cum igne & tenui ſanguine, neceſſarium robur inferat, cerebro, unde poſſit humorem ſuperfluum, obſervato naturalis circuitus ordine, per alvum & veſicam excernere, dum nimiùs interiorum partium calor quo

illi augentur, temperatur revulsione ad partes superas.

E contrario obesis in eodem cœlo, quia exterior illorum habitus proportione respondet æstati, quo fit ut magis bibant quàm edant, insomnium faciliùs tolerent, ne calor superis partibus augeatur & varios affectus progeneret, inustiones partibus inferis, cruribus potissimùm & tibiis agendæ sunt, quibus calor superfluus partium exteriorum ad interna infernáque trahatur, caput & vicinas partes relinquat, ne suo excessu morbos inferat. Videndum tamen ne nimia moles corporis & inæqualis partium intemperies, superiorum locorum inustionibus egeat, quod sæpiùs contingere solet.

Idem servandum in cœlo intemperato. In frigido enim in quo refrigerantia nocent, ut inter sectiones venarum, sectio salvatellæ, quæ arteriosi sanguinis plurimùm auffert, inustiones agendæ superis locis potissimùm, ut ope cerebri pituitæ fontis humor prædictus ex iis revellatur, ne morbos inferat: in calidiore agendæ partibus inferis, quò extraneus superiorum partium calor ad internas ut decet attra-

hatur, & bilis quæ affectionum non-naturalium causa esse posset, subducatur, è corpore per loca conferentia.

Cæterùm ut affectionum aliæ idiopathicæ sunt, aliæ sympathicæ; cuique juxta locum unde affectio prodit, inustiones agendæ sunt; ut attracto igne parti affectionem impertienti, ad primam mali causam, causæ occasionem & primordia deveniatur. Indéque Hipp. in convulsione quâ Stymargi ancilla Idumea laboravit, & quæ venæ sectionem brachij indicare potuisset, quia *totum corpus*, *tremores*, id est, convulsiones *occupabant*; venam secari jussit in talo; quia cùm affectio originem duceret *ab utero convoluto*, ideft, à suffocatione uteri quæ frigiditatis & siccitatis hujusce partis filia est, *ad primam mali causam, causæ occasionem & primordia deveniendum erat*, ait Hipp ut pars primùm affecta, nimirùm uterus attracto sanguine unà cum igne frigiditatem & siccitatem deponeret, ut ulteriùs explicabitur in progressu exercitationis.

2. Epid.

Sed quia cauteria præcipuè inuruntur

ad præcautionem & curationem catarrhi & affectuum qui ab illo oriuntur; ideò antequam agamus de morbis universi corporis, agendum de catarrho quem ex illorum albo eradere voluit Helmótius in ortu Medicinæ suæ.

## SECTIO III.

### *Sapientia catarrhi contra Helmontium.*

DELIRAMENTA catarrhi quibus sapientiam opponimus, scripsisse gloriatur Helmontius sano magis ingenio quàm studio. Cùm enim vanam sanationis spem (ut ait) in cauteriis collocatam auferre prorsùs intenderet, catarrhum veluti anile figmentum non nisi pulsote hoste humani generis inventum (ut subdit) è Scholis profligare molitus est, ne, cùm naturæ gravior esset, illius curatio, fonticulis impostérum agenda præscriberetur.

Postquam igitur Iovis instar cui Reges in ipsos imperium est, veniam

dedit Hippocrati divinæ Scientiæ principi, & bonorum omnium nobis parenti, qui tota morborum negotia per naturam ut magistram absolvi existimavit, ex eo quòd illius sæculo universales medendi apices quibus ipse à summo numine vocatus, electus, exercitatus commissusque fuit, quíque naturæ tonum in se continent, nondum enituerant; & Medentes qui catarrhos omnium penè morborum reos esse decernunt, tamquam ridiculos subsannavit, mirari se quotidie (addit,) neminem tantam Medentum ignorantiam hactenùs animadvertisse, sed orbem Christianum Græcorum hæc somnia post se traxisse in latriam ridiculam, mendacem & humanæ societati perniciosam. Quòd si quis scire petat, quomodò ad mentem illorum catarrhos produci dicat Helmontius? Statuunt (inquit) primigenium eorum fontem in frigida stomachi & calida jecoris intemperie, maximam infirmorum mortalium partem huic subesse tyrannidi; Modum quippè fiendi esse; quod stomachus incessanter inter coquendum ab hepate calefactus non possit non jugiter vapores ad caput

mittere; Cerebrum verò esse naturâ suâ frigidum, & instar operculi, bullientis ollæ, aut fungi alembici vice, in quem vapores ascendant, & cogantur in aquam, quæ cùm naturaliter fluere debeat, suggerit amplam materiam catarrhis atque generalem. Quæ si in oculos, aures, fauces, & dentes decidat, dolent meritò partes se cerebrum vicinum habere & tyrannum superiorem: sin verò in pulmonem pluat, transmutatur in tussim, in affectus suspiriosos, in tabem denique, palpitationem cordis, adeóque & in mortem inopinam. Quòd si verò in stomachum ij catarrhi depluunt, jam suæ culpæ is pœnas luit per apepsiam, cruditates, vomitus, orexes, cardialgias, deliquia, obstructiones, diarrhœas, cæliacas, choleras, colicas atrophias, hydropes, scirrhos, ventrisque defectus omnes. Jmò febres, putredines in venis, splenis quoque, renum atque vesicæ calculos è mucore catarrhi sua primordia desumunt. Quòd si verò in cerebelli sinum derivent catarrhi, jam mors instantanea, apoplexia, & paralyses præsto adsunt. Sin verò per nucham in nervos, arte-

rias, muſculos, fortè fortuna divertant catarrhi, arthritides variæ, plevritides, paralyſes partium ac convulſiones mox adveniunt; Jtémque Chirurgicos defectus, dolorum, apoſtematum ulcerúmque variam prolem, catarrhos gignere volunt; ſin autem non decidant, ſuóque ſe cerebrum non levet onere per coryzas & tuſſes, adeſt ſopor, coma, catochus, lethargus, vertigo, apoplexia, memoriæ & ſenſuum jactura.

His ſic enarratis, præfatam catarrhi generationem compoſitis Theſibus impugnat, & nihil è ſtomacho in cerebrum columellæ viâ ferri poſſe demonſtrare conatur; quæ etiamſi vera eſſent omni ex parte, anne ideò ridicula catarrhi generatio? Nonne vapores, ſi vaporibus res agi debeat, venarum ope in eam corporis ſedem efferri, remiſſi caloris ſeu frigiditatis miniſterio concreſcere, conceptóque ob copiam calore & tenuitate in partes inferiores, earumdem venarum auxilio deferri poterunt, ut adeptâ craſſitie in venulis partium; ijſque convulſis, ideſt, impeditis & interceptis, retento igne quem arteriæ ob

illarum angustiam substantiæ partium *supervomunt*; dolores non sublimes 2. de & ita graves producantur, ut quidam morb sibi manus intulerint; & si fiant in dentibus, solâ evulsione illorum qui interceptioni favebant admodum, levari possint, juxta Hipp. effatum: *Dentis syderatio abscessum ad gingivas enatum solvit*; divulsis venulis, & hu- 136. Coac. moribus per eas in partes effusis, sublimes & leviores.

Sed ut pressiùs attingamus quæ ille affert de generatione catarrhi ad mentem aliorum: Crediderim equidem frigiditatem stomachi in producendo catarrho multùm inservire, non tamen ea lege quam affert, putà quod è stomacho malè coquente & jecoris nimiùm excalefacientis maleficio vapores ex alimentis deferantur in cerebrum ubi vertantur in catarrhum; sed quia pituitæ & bilis atræ, è quibus catarrhi fiunt utplurimùm, generationi apprimè favet; & cum venter *maris facultatem habeat, omnibus* 1. De *partibus det & ab omnibus accipiat*, si ea vict. temperie non valeat quæ alimenta co- rat. quere & facta distributione ad sui alimoniam, aut ad expulsionem per na-

turales vesicæ ventrísque ductus trahere possit, necesse est, superas partes frigidis & crassis humoribus impleri plusquàm par est, hisque à concepto calore tenuitatem adeptis & ad inferas partes deciduis catarrhum erumpere; quia, ut ait Hipp. partes inferiores, (*venter maximus* scribit Hipp.) idest, tota ventris moles unà cum intestinis *plus facientes minùs faciunt*, idest, plus dantes humorum aliis partibus quàm suscipientes vel pro sui nutritione, vel pro expulsione superfluòrum, *minùs faciunt*, idest, minùs sibi prosunt & student.

1. de vict. rat.

Quod etiam ad generationem catarrhi maxime faveat calidior intemperies jecoris à ratione videtur alienum ea lege quam Helmontius attulit. Neque enim hoc viscus ita calidum fieri posse mihi facilè persuaserim ac vulgò dicitur, nî gravioris causæ maleficio seu naturam illius, seu vasorum texturam quis spectet. Si naturam quidem, quia hepar dicitur *coagmentatio aquæ frigidæ & humidæ*, idest, sanguinis, *quam circum ventrem* natura apposuit, ex eo quod à multo sanguine nativum ignem superante in parenchymatis na-

1. de vict. rat.

turam concrevit, ut eiusdem aquæ promptuarium & ἱμαλίου, ideſt, gratioſi humoris fons eſſet impoſterum. Quod Hipp. hiſce verbis expreſſit: *humido multo cum calido relicto, abſque glutinoſo & pingui, frigidum ſuperavit calidum & condenſatum eſt.* Quod ſi vaſorum texturam quis ſpectet: cùm hoc viſcus *nulla ex parte attingat aortam*, ideſt; arteriam magnam quæ ex aorta deſcendit, & validum ignem inferre poſſet, arteriolis in illius concretione geſtientis ſubſtantiam ſeſe tantùm inſinuantibus; vix fieri poteſt, ut eam caloris intemperiem ſuſcipiat præterquam gravioris cauſæ malitia. Indéque Celſus *abſtinendum eſſe*, ait, *ab omnibus frigidis: neque enim res ulla magis jecur lædit.* Quòd ſi ea eſſet illius viſceris caliditas quæ ſtomachi frigiditatem corrigere poſſet, nulla in caput materia elevaretur ad productionem catarrhi, & ventriculus *qui omnibus dat*, æquali jure & robore *ab omnibus acciperet*, ſuperflua expelleret: Inutilis eſt ergo ad generationem catarrhi, hepatis calor immodicus qui frigiditatem ventriculi temperare poſſet, aut ſi utilis ſit, congeſtioni hu-

Lib. de car.

Ariſt. 1 hiſt anim. cap. 18.

Lib. 4. cap. 8.

moris solummodò ad illius generationem in cerebro, cujus calorem dum ad se trahit, id præ imbecillitate deficientis ignis sobole, adjuvante non parum ventriculi frigiditate, pituitam cujus est fons, plurimam congerit, eámque crassam & viscidam, quæ dum vel frigiditatis externæ calida sistentis effluvia, vel caliditatis humores fundentis maleficio orgasmum obtinet, partibus inferis catarrhos effundit. Quod certè facilè est assequi ex eo quod utplurimum dum catarrhus fluit è cerebro, lienis regio tenditur, indurescit unà cum ventre nî ad eum fluxio vertatur, flatibus obmurmurat, efferente se ex illo in caput unà cum sero propter naturam partis & humoris utriusque congenerem, igne, quo viscus illud crebris arteriis mirè perfunditur, & alimentorum coctioni apprimè favet ignis instar infra lebe-
6. E-pid. tem accensi. Inde Hipp his *qui gravedine ex cerebro laborant, lienem minùs teretem, tenuémque* non solùm esse ait, attracto ad caput sero, cujus secretioni viscus illud natura præposuit, sed *manus, caput & nares incalescere, pedes* autem *frigere*, evolante in eam

corporis parem ex inferis, maximè è liene, valido igne, quo, frigidi & craſſi humores cerebro affixi funduntur & relabũtur veluti in imbres, unde catarrhi generantur, inde etiam *narium ruborés* caloris caput invadentis ſoboles, *alvi liquidæ & diffluentis ſunt indicia*, ſi per catarrhum ita fiat & fluat. Coac 215.

Ex anteà ſcriptis duo concludere fas eſt: Primum, materiam catarrhi humorem non eſſe à ſua natura tenuem, fluxilem, calidum, ſed pituitam lentam, tenacem, frigidam, quæ præ craſſitie atræ bilis naturam induit, aut atram ipſam bilem, quæ præ imbecillitate cerebri frigiditatis ſobole, vel per ſe, vel attracto ad partes internas & calidiores illius partis calore, adjuvante non parum frigiditate ventriculi quâ ſimiles humores in eo generantur, coacervatur in cerebro aut in venis ſuperioribus. Alterum in productione catarrhi neceſſariam eſſe caliditatem eiuſdem loci, quæ vel à copia humorum vel præ cæteris, à frigido externo calidiora ſiſtente effluvia comparatur, vel à calido quod prædictos humores fundit & liquat. Primum, licet è prædictis partibus

unde humores congeruntur ſiſtuntúrque ſuperis ſedibus è quibus in varias partes corporis longa ſcaturigine diffunduntur, liene & cerebro ſatis ſuperque pateat, cùm *lien atri humoris, cerebrum pituitæ fons ſit*; Et ex eo quod humores tenues vix ſupereſſe ſiſtique poſſint in corpore poſt factam nutritionē, ſed à natura *obſervato naturalis circuitus ordine*, ut decet, expellantur, nî copiâ magis quàm permixtione in vitio ſint, his rationibus conſtare poterit.

4. de morb

Plato in Tymæo.

Hi affectus generantur à frigidis & craſſis humoribus qui morbos ab ijſdem humoribus enatos ſolvunt; cauſæ illorum metaſtaſi; craſſorum humorum ſubductione præcaventur; remediis diſcutientibus calidis, atræque bilis vomitione prorsùs auferuntur: Atqui talis eſt catarrhus: Ergo à craſſis & frigidis humoribus ducit originem. Minor quæ ſola probari videtur deſiderare, ſic probatur; ac primò quòd catarrhi morbos à craſſis humoribus oriundos exolvant cauſæ metaſtaſi: catarrhi febres malignas eſſentiales & accidentales ſive comitatas metaſtaſi, maligni & craſſi humoris factâ è venis in articulos, ſanant;

modò à natura rectè agente fiant; ergo producuntur à frigidis & craſſis humoribus. Indéque ait Hipp. quibus *in febribus ardentibus* (malignas intelligit Hipp. *coxendicum dolor & oculorum perverſio & cæcitas, aut teſtium tumores, aut mammarum elevatio, hæc febrem ardentem ſolvunt, aut etiam ſanguinis è naribus profluvium* Nec dicas coxendicum dolores in hoc caſu tenuis humoris ſobolem eſſe; eadem enim eſſe debet quæ cæcitatis & convulſionis oculorum, quas pituita craſſa bilis atræ naturam adepta, arteriarum aut venarum opticarum gravi interceptione parturit, ut & teſtium mammarúmque tumores duros. Indéque ait Hipp. *Morborum melancholicorum*, & ſi morbi nomine cauſam intelligas quæ morbi inſtar homini moleſtiam infert, humorum melancholicorum *periculoſi decubitus, convulſiones & cœcitatem denunciant*. Quòd autem profluvio ſanguinis quo febres malignæ ſolvuntur, magna atræ bilis malignitatem inferentis congeries educatur, patet hiſce verbis Hipp. *Et quibus ſanguis, atra bilis*, quæ ſine illo vix unquam è venis effundi poſſet.

6. Aphor. 56. lib. de Flat.

6. Epid.

Hac ſorte putà coxendicis & articulorum doloribus, efferente naturâ humorem malignum è venis in ea loca ut par eſt, à febre maligna eſſentiali & à morte liberati ſunt, è con-
1. Epid. tra periêre : *Antiphon Cleobuli filius*, qui ſuppreſſis tumoribus adenum poſt aures, & ceſſante dolore iſchiadico ad vigeſimum quartum diem à febre cu-
1. Epid. ratus eſt. *Clazomenius* ſimiliter curatus eſt doloribus obortis & aquoſo
10. alvi profluvio. *Herophon*, pariter, *In*
3. Epid. 3 *Dealcis horto decumbens*, qui eodem femoris dolore prehenſus fuit : *Ad fri-*
3. Epid. *gidam in Thaſo decumbens* ; *Incaleſcens*
12. *quidam à cœna* : *Heropitus* : *Calvus in*
3. Epid. 3 *Lariſſa* : *Vxor Pithidori* : *Is cui ex coxendice dolenti cucurbitula eſt admota.*
1. Epid. 9 *Conjux fratris Apemanti* ; *Filius ſororis*
3. Epid. 4 *Apemanti* : *Vxor mariti puerpera propè Zitodochum* : *Soror ejuſdem ægri* : *qui ad*
4. Epid. *fodinas diverſabatur* : *Andreas*, cujus febrem continuam quam ſemitertianam reputabant, dolor crurum exolvit, & tertio menſe ad renes, ideſt, ad coxam, ut erat obnoxius, venit.

In febre accidentali & comitata quæ malignantis etiam eſt naturæ, dolores oborti, naturâ rectè agente, fe-

brem aufferunt, & è contra: Indéque ait Hipp. *In angina dolores citra evidentem causam disparentes, perniciem ostentant*, ideſt, in angina ſi dolores quibus effuſo in articulos maligno humore orgaſmum adepto malum levari & ſanari poſſet, nondum partibus firmati diſpareant, periculum denunciant, vel retento humore pravo in faucibus, aut in alias partes, arterias putà, nervorum ſeptimi paris & venas principij nervorum compulſo. Inde *Anginosa manus dextra & crus doluit, suffocatio tertio die remisit, quarto convulsione tentata & voce capta fuit, stertebat, dentes conterebat, sexto mortua est, cum signo ad manum sublivido.* Sic etiam *uxori Polemarchi angina cum gutturis tumore laboranti tumor cum dolore ad lævum genu obortus est, nono voce capta mortua est.* 31. Coac. 5. Epid.

Sic etiam effatur Hipp. *In angina absque ulla significatione redundantes in caput dolores cum febre perniciosi*, id eſt, in angina abſque criſi redundantes in caput dolores, id eſt, ſi materia pituitoſa unde dolores generantur qui anginam ſolvere poſſent veluti facta criſi in articulos, ſiſtatur in capite ve- 372. Coac

nisque gutturis cum febre, periculum denunciant; convulsiones enim, aphoniam, & corde in sympathiam ducto, mortem accersunt; ut *Anginosa apud*
3. E- *Metonem.*
pid. Sic adhuc loquitur: *In angina abs-*
373. *que ulla significatione delati ad crura do-*
Coac *lores cum febre, perniciosi.* Id est, in angina acutissima sine vera crisi, si propagante se ad alias partes corporis materiâ malignâ. crurum dolores fiant cum febre quâ majorem & crassiorem humoris morbosi partem in venis gutturis aliisque superesse denunciatur, perniciosi valde sunt, cita enim mors advenit, ademptâ respiratione, ut
5. E- *conjugi Polemarchi.*
pid. Idem expertum in phrenitide, ileo, plevritide, quæ sunt aliæ species febris accidentalis & comitatæ. Hinc
7. E- *Timocrates cum per totam diem atram*
pid. *bilem vomuisset*, à phrenitide curatus
7. E- fuit; *filius Hermophili*, similiter atræ
pid. bilis vomitione ab ileo; & *Assander plevritide ad femur & genua pervenien-te laborans ubi comedisset delirabat & mortuus est.* Tentavit enim natura temerario veluti ausu partem humoris maligni è latere ad genua femúrque

propellere; sed cùm æger comedisset, accita ob loci proximitatem & ventris calorem ciborum usu comparatum sputorúmque retentionem diaphragmatis inflammatione maximè cùm humor malignus, copiâ in vitio esset, phreniticus evasit, & brevi tempore excessit è vivis.

Ophthalmiæ simili ratione juvantur non solùm à febre quæ crudum & crassum humorem unà cum bile venis oculorum affixum solvit, sed dolore coxarum superveniente, quo humor peccans è venis prædictis in coxas revellitur; indéque ait Hipp. *Dolores oculorum juvat febris succedens aut dolor in lumbis firmatus.* 2. Prorthet.

Idem ac idit in peripneumonia, in qua *si periculum creet, abscessus in cruribus non inutiliter fiunt, qui si initio recurrant, perseverante febre, neque prodeunte sputo, periculum mortis aut delirij imminet.* Coac 196,

Quod autem dolores in quavis febre maligna seu essentiali, seu accidentali & comitata ab humore crasso malignitatis causâ procedant illiúsque indicia sint, docet Hipp. his verbis: *In febribus longis aut tubercula, aut dolo* 118. Coac.

*res ad articulos proveniunt, quos n que tamen temerè fieri existimandum est.* Ideſt, in febribus non tam diuturnis quàm
lib.de natu. Hom ab humore, *Diuturnas stationes habente atro*, nimirùm oriundis malignis, ſcilicet, tubercula aut dolores proveniunt, quos neque temerè fieri exiſtimandum eſt, cùm enaſcantur ab humore maligno cujus indicia non modò ſunt; ſed excretio tempeſtivè facta curando affectui ſummè prodeſt.

Quod verò dolores indicia ſint malignitatis quam poſſunt exolvere, ſic
30. Coac. effatur Hipp. *In febre manuum ac pedum dolores malignum quippiam prænunciant, malignus quoque ex femore doloris impetus, sed neque genuum dolor probari potest, quin & surarum quoque dolores maligni sunt.* Ideſt, ut malignitás non alio graviore indicio ſe prodit quàm improportione ſymptomatum, ideſt, quàm ſymptomatis febri improportionatis quæ ab humore frigido craſſóque procedunt, dum febris, calidioris, tenuis & bilioſi ſoboles eſt; manuum pedúmque dolores à pituita in venas & partes earum effuſa malignitatem atteſtantur: Inde *Virgo Abderitana in febre maligna dolore pedum vexata*

*vexata fuit*; Dolor coxarum idem arguit, quia ab eadem malignitatis causa ducit originem ut ægrorum superiùs scriptorum experientia comprobavit.

Quòd si febres malignas cujusvis generis ab humore atro & crasso (tartarum vocant Chimici malignitatis occasione inferri, probari quis petat? Quid aliud indicant & symptomata illarum, putà rigores, horrores, aphoniæ, apoplexiæ, convulsiones, somni profundi? Quid aliud excrementa quibus solvuntur, in quibus *quod crassum est, judicatorium esse*, decrevit Hipp. 4. Epid.
Cætera videas in libro nostro de usu vini emetici in curatione febrium malignarum ad mentem Hippocratis.

Metastasis morborum sequacium catarrhi in alios quos crassus humor affixus venulis partium ingenerat, idem probat. Hinc arthritidis in colicum dolorem mutatio perfacilis, recurrente è venis articulorum crasso humore orgasmi maleficio in venulas intestinorum quas revocatâ crassitie demum intercipit, & frigiditate dolorem & duritiem infert, indéque ait 6. Epid. 5.
Hipp. *Refrigeratio ventrem indurat*: *Cui* 26.

6. Epid.4. 3. *inteſtinum in dextra parte dolebat, articulari morbo correptus eſt, poſtquam autem hic curatus fuit, magis dolebat.* Vt cæteras metaſtaſes quæ ex inteſtinis colicam patientibus aut articulis dolore conflictatis fiunt in venas & in arterias cerebri, unde cæcitas, convulſiones, aphoniæ erumpunt, interceptis arteriis oculorum, venis principij nervorum, arteriiſque poſterioris cerebri ab humore craſſo orgaſmum adepto, ſileam.

Quod autem catarrhi remediis excalefacientibus & diſcutientibus exolvantur, non quidem ſemper à prima fronte metu fluxionis gravioris quam calor immoderatus concitare poteſt, nemo eſt qui negare audeat, licèt Helmontius inutilia prorsùs, noxia & ad Medicinam univerſalem confugiendum eſſe ſtatuat. Hinc balneorum hypocauſtorum uſus curandis arthriticis & congeneribus morbis celeberrimus.
5. Epid. Inde *Tymochärite, cui per hyemem diſtillatio præcipuè in nares defluxit, ubi venere uſus eſſet, cuncta reſiccata ſunt,*
2. de vit. rat. ex eo quod venus calefacit ob laborem & frigiditatis putà ſeminis excretionem. Vnde Ariſt. morbis à pituita

conferre ait, quia seminis ejectio, veluti pituitæ excretio est: Attamen quia venerisvsus humectat propter id quod ex colliquatione in corpore relictum est, *lassitudo, calor capitisque gravitas successere* Tymochariti, *sudor ex capite multus, quin etiam toto corpore diffluxit, cum autem ille per sanitatem sudoribus obnoxius esset*, prona in eos natura humores corpori & capiti graves, illis accitis, ac proinde discutientibus exturbare conata est, nec infœlici successu, æger enim tertia die pristinam sanitatem est consecutus. 1. Problem. 15.

Quod verò catarthi & affectus eorum sequaces excretis crassis humoribus, atráque ipsa bile præcaveantur & curentur, docuit Hipp. his verbis: *Quibus spes est ad articulos abscessum futurum, abscessu liberat, urina multa, crassa & alba reddita; qualis in febribus cum lassitudinis sensu quarto die quibusdam exire incipit: quod si ex naribus etiam sanguis profluxerit, brevi admodum solutio fit.* 4. Aphor. 74.

Reperit in epidemicis ubi exemplum affert de *Puero Archigenis.* Hinc dictum in præfatione. *Qui sanguinem* 6. Epid. 4. 2.

pid. 4. *per hæmorrhoidas solent perfundere, neque*
28. *morbo laterali neque pulmonis inflammatione*, nec aliis quos catarrhi pariunt, *corripiuntur*, excreto humore crasso unde impedimenta concitarentur intra venas.

2. Prorhet. Sed etiam clarè ostendit catarrhum atræ bilis subductione tolli his verbis: *Humerorum dolores qui ad manus tendunt, torperésque & dolores exhibent, abscessus certè non consequuntur, at atræ bilis vomitione sanantur.*

Tempestates anni in quibus catarrhi fiunt utplurimùm, nullo negotio probant originem sumere à frigido, crasso & atro humore, qui dum vel è liene in cerebrum rapitur ob naturam utriusque partis & humoris congenerem, non secus ac aquæ & terræ, quæ pituitæ, cujus fontem caput esse natura voluit; & humori atro cujus principium & finem lienem esse decrevit, proportione respondent, vel in cerebro ipso à pituita recrudescente generatur, catarrhos parit. Hinc-
3. Aphor. que ait Hipp. *Hyeme morbi laterales,*
23. *peripneumoniæ, letargi, gravedines, raucitates, tusses, dolores pectoris, laterum, lumborum, capitis dolores, vertigines*

*apoplexiæ* : Autumno , *coxendicum do-* 3. A-
*lores* , *volvuli* , *hydrops*. Repetit his phor.
verbis : *Vere & autumno podagrici mor-* 22.
*bi moventur*. Vere quidem , non tam
prævalente sanguine , quàm cum illo
bile atra , ut superiùs dictum , vel quia
*veris initio* , in quo arthritis sævire
consuevit , *plurimi morborum hyema-
lium* , à pituita crassa sed veris tepore
soluta , originem deducentium inva-
lescunt autumno , quia per illam tem-
pestatem ater humor dominatur cum
plurimo sanguine, ut dictum. Quòd si
arthritis & aliæ affectiones catarrhi
soboles aliis tempestatibus anni pre-
hendant , vel à propria , pituitosa sci-
licet aut melancholica ægrotantis na-
tura quæ in tempestate degenere catar-
rhis obnoxium esse facit , vel quia *in* 2. E-
*sublimi natura quid innovatum est*, ut ait pid.
Hipp. ideft , vel quia hæc tempestas
à propria & peculiari natura sua de-
flectit & morbos degeneres quidem
tempestati , sed congeneres temperiei
illius parturit , factum existimo. Hinc
*si æstas sit similis veri* , *sudores in febri-* 2. E-
*bus multos supervenire necesse est* : & si pid.
propriam naturam servet , pestes &
cæteras febres malignas larga produ-

ctione bilis, per eam sævientis prorsùs exolvi, ut notatur in locis calidioribus adventante natalitio Beati Ioannis Baptistæ, quo tempore pestis cessat & in febres intermittentes convertitur, sin contra perseverat.

Natura eorum qui catarrhis sunt obnoxij veritatem superiùs propositam, nimirum quod ab atro & crasso humore ducat originem mirè etiam attestatur: Hinc melancholici crebris fluxionibus sunt obnoxij, quibus balbi fiunt, litteras difficulter titubantésque
6. Aphor. 32. proferunt; *longo alvi profluvio corripiuntur*, quia à catarrho fiunt.

Verum ergo est quod probandum suscepimus ex Hipp. Catarrhum, humoris, non à natura sua tenuis, sed crassi, frigidi, pituitosi aut atri ob capitis imbecillitatem frigiditatis sociam, aut in venis congesti sobolem esse; quod verò caloris in eam corporis sedem vel ex inferis refrigescentibus adducti, aut aliis causis inducti maleficio moveatur, dicetur in proprio capite catarrhi. Nam quòd ille è capite in partes inferiores corporis proruat, quis adeò perfrictæ frontis esse poterit, ut Helmontij instar negare

audeat? Cùm assiduâ experientiâ constet morbos qui fiunt à catarrho in partibus inferioribus corporis, vix alio remedio levari posse, quàm inustis superæ corporis parti, capiti, cervici, cauteriis, ut demonstrabitur inferiùs, quibus attracto ad fontem & scaturiginem humoris, *Primámque mali causam, causa occasionem & primordia,* 2. Epid. igne nativo, pars hæc officij sui veluti memor, veteris & novi humoris *confusionem* prohibeat, ac proinde vasorum impuritatem, expulsis *per alienam regionem*, ideſt per vesicam, ventrem & aliarum partium emunctoria, succis peccantibus unde catarrhi diffunduntur. 6. Epid. 1. de vict. rat.

Hinc etiam dum catarrhus è superis locis ad inferas partes rüere incipit, tussis dolorum prævia sæpiùs quatit; deglutitionis impedimentum imò, ut mox dicetur, intimarum partium, oris impotentia & paralysis fit; spiritûs difficultas premit, agente se venis & pectori materiâ catarrhi, unde utraque respiratio prohibetur; ingens urinæ è cerebro potissimùm delabentis copia profunditur; stranguria ob calorem infertur; quia humor ille

quo catarrhus fit, licèt frigidioris crassiorísque naturæ, si incendatur, graviori recessu à naturali statu, majorem acutiem concipit quàm alius quivis, undè non modò partes carnosas, sed osseas sæpiùs corrodit, aquæ instar cujus naturam æmulatur; cùm enim aqua, à sua natura, frigida & crassa sit, si incendatur, graviores
2. de morb ambustiones inducit quàm alia quævis corpora. Inde Hipp. catarrhum si ferinus sit & partes corrodat, à pituita, in bilem veluti conversa originem ducere expressis verbis asseruit. Quòd si humor unde catarrhus, fit dum è cerebro ruit in partes inferas, copiosior sit, aut gravem calorem non conceperit, permeatis venis & sanguine,
3. de morb frigus, horrorem, aut rigorem infert,
6. Epid. 5. 29. *refrigeratis fontibus sanguinis*, ideſt, venis, indéque ait Hipp. *Rigor ferè à superioribus partibus ortum ducit*, putà è cerebro, unde pituita catarrhi causa utplurimùm descendit, *inferis partibus, è quibus*, ob bilis juxta hepar locum habentis imperium, *febris ferè ortum ducit.*

Non eo quidem inficias, quod dum, pars, jure hæreditario vel ascititio, fluxione etiam è cerebro in eam de-

cumbente à pristino robore desciverit & imbecillis evaserit, genij fraude noxiis humoribus impleatur, in quo casu sæpissimè caustica juxta illam sunt inurenda, ut attracto igne, debilitas aufferri possit. Sed quod omnes morbi ab illa citra humoris è cerebro seu fonte magno ac quasi *glandula* expressi defluentísque colluviem inferantur, nihil negligentius, stolidius, nec perniciosius doceri potest, si Helmontij verbis uti liceat; cùm ratio quam ille admittit, sumpta à juvantibus, maximè à cauteriis, & à lædentibus, eorum scilicet exsiccatione intempestiva, contrarium probet, ut multiplici experientiâ confirmabitur in progressu libri. Lib. de gland.

Partes corporis occasione fluxionis è cerebro delabentis vel alia quavis frigiditate debiles imitantur id quod cernitur in æolipila in aquam per collum tantisper immersa. Vt enim æstate dum validus calor in orbe est, comes ignis quo universi moles regitur, utque ait Poëta, *socius mentis, quæ totam infusa per artus*, universi *molem agitat*, humor vix scandit in superas partes; quia ignis aërem qui conti- Virg. 8. Æneid.

netur in illo, ad sui nutritionem satis superque disgregat & trahit, è supera parte æolipilæ, è contra per hyemem, dum calor tenuis est frigúsque sævit, aërem ex humore disgregare non potest, sed illum ad sese unà cum humore trahit. Sic pars corporis cum insito igne à natura donata fuerit, si perfundatur ut par est illo qui influit è corde, humorem necessarium ad nutritionem trahit è venis, & per eas è fontibus corporis, superflua in illas demittit, ut per alienam regionem, emunctoria scilicet corporis, subducantur; quòd si insitus ignis humoribus vel è cerebro vel aliunde deciduis aut aliis de causis minuatur, nec ut par est ab eo quem influit, ut qui, *alÿ imperat*, refocilletur, cùm aërem in humore nutriculo contentum disgregare non possit, mixtum diffundit & trahit, obruitur ille humoris copiâ, quâ pars non solùm à colore naturali deflectit, sed tumet; quod eò magis accidere comprobatur, quò pars debilior fit: Hinc moriente homine partes fluxionibus laborantes, è cerebro magis suscipiunt, pulmones præ cæteris non solùm ob naturam spon-

Lib. de Cord.

giosam, quæ prona est, recipiendis humoribus, sed præcipuè ob graviorem debilitatis inductæ sensum, cùm plurimo igne indigeant, quo seipsos possint attollere. Inde reciprocus in ore sonus adest, naturæ pulmonum imbecillis humores moventis nec promoventis filius, quibus tandem ignis nativus prorsus extinguitur. Nam quod spectat ad id quod effatur Helmontius, pulmones à seipsis nullatenùs moveri, sed musculorum abdominis & diaphragmatis beneficio, quo aërem per os, laryngem, tracheam arteriam suscipiant & per exterioris membranæ poros in capacitatem thoracis emittant; licèt hujus loci non sit enunciare: quis nisi Moloch, medicæque arrogantiæ dæmonium cathedris præsidens & mundum dementans, aut antiquus serpens mendacij parens in mortalium perniciem (ut ipse ait) imposterum doceat? Cùm aperto per vulnera hominis viventis thorace pulmonem elevari & intumescere, deprimi & detumescere, immoto etiam abdomine, quisquis oculorum judicio hac in parte fidere velit, facilè videat. Quod si quis quærat, undenam

motus ille pulmonis originem ducat,
3. de Arist his verbis expressit. *Pulmo igitur*
part. *spirandi officio delegatus originem quidem*
anim. *sui motus accipit à corde.* Explicat se-
cap.6 quentibus verbis: *Respiratio fit cum augmentatur calidum in quo principium nutritivum; quemadmodum enim & alia indigent alimento, & illud & aliis magis. Etenim illud alimenti causa est. Necesse itaque amplius factum elevare instrumentum. Oportet autem existimare constitutionem similem quidem esse follibus qui in araviis. Elevatur igitur majus factum. Cùm autem elevatur, necessarium elevari continentem particulam: Quod videntur facere respirantes. Elevant enim pectus propterea quod principium existens in ipso hujus particulæ idem hoc facit. Cùm enim elevatur, quemadmodum in folles, necessarium induci aërem qui deforis, & frigidum existentem & refrigerantem extinguere excessum ignis. Quemadmodum autem crescente elevabatur hac particula, & decrescente, necessarium considere, & considente exire aërem qui ingressus fuit iterum, ingredientem quidem frigidum, exeuntem autem calidum.* Idest, Respiratio pulmonis procedit ab augmenro ignis qui con-

tinetur in corde potissimùm in dextro ventriculo quem hujus occasione natura præposuit cordi, solisque animalibus pulmone donatis concessit, ut ex eo nutritionem non modò susciperet, sed etiam ignis qui continetur in alio ventriculo; hic enim more partium corporis, alimento eget, putà, aëre & sanguine puriori, & sui ratione & aliarum partium, idest, quo ipse nutriatur, & influxu suo continuo è corde facto nutritionis aliarum partium *concausa* fiat. Necesse ergo fit ut cum ignis nimiùm effervescit in corde, is per pulmonem aërem trahat, pulmo elevetur more follium quorum naturam æmulatur, & aër intrò subeat; Hinc à pulmone *ad ignea gravitante*, consentiens thorax elevatur ac quasi *levitat*, donec calor aëris externi frigiditate temperetur, quo obtento subsidet pulmo ac quasi *levitat*, *gravitante* thorace, & aër concepto calore, per laryngem, nares & os exploditur. Nec aër qui respirationis ministerio trahitur, in pulmonem solum se agit, sed è pulmone in eos ad nutritionem ignis operâ venæ arteriosæ; & in thoracis capacitatem ut vacuum im-

2. de Anim cap. 1. text. 43.

Arist. lib. de mot. anim. cap. 6

pleatur, ut ait Plato, ità ut si vulnus aliquod thoracem penetraverit foras per illud à pulmone intumescente propellatur. *Quid enim sine hoc*, ideſt aëre *tandem fit? Aut à quonam hic abest? Aut cui non præsens est?* Sed hæc plus quàm par erat in re sensibus obvia, ad pensum redeamus. Vide interim *lib. 4. sect. 1. de morbis œsophagi*, & *sect. 3. de morbis cordis*.

Lib. de flat.

# LIBER II.

## *De Inustionibus pro curatione morborum.*

QVAMVIS Hipp. duplicis tantùm naturæ facultates esse decreverit in homine, aliam ad sensum totius & partis, quam Recentiores animalem, sensúmque externum & internum indigitant; Aliam ad vitam totius & partis, Recentiores vitalem & naturalem vocant, indéque morbos qui per earum læsiones innotescunt, in duas

classes distribuerit, animalium scilicet partium & vitalium: Attamen clarioris doctrinæ gratiâ, corporis morbos in quatuor classes dividemus; aliique erunt morbi capitis & partium animalium, alij thoracis partiúmque vitalium, alij ventris & partium naturalium, ultimi partium exteriorum; quibus omnibus ut & febribus inustiones in quãtum fieri poterit accommodabimus.

---

## SECTIO I.

### *De inustionibus pro curatione morborum Capitis.*

MOrbi capitis alij sunt similares qui continent intemperies, alij organici, communes alij, è quibus varia fiunt symptomata, primùm quidem sensus communis & cæterorum sensuum internorum, motúsque animalis, posteà sensuum externorum, secundum symptomata in excretis, & retentis, de quibus omnibus laconico sermone differemus.

Calida intemperies capitis, vigilia-

rum præcipuè comes, oritur ab igne, ſed qui ſuperior eſt humori ſecum aſſociato, maximè ſi quis à natura obtineat. Triplicem autem illius gradum aſſignat Hipp. antequam morbi naturam præ ſe ferat, quorum ultimus inſaniæ eſt proximus, *ſubſurioſos*, vocat. Vterque, morboſi inſtar eget partis laborantis putà cerebri frigiditate quam non ſolùm interna externáque poſſunt inducere, ſed præ cæteris inuſtum partibus inferis, maximè tibiæ dextræ cauterium; hujus enim occaſione, ignis cum ſanguine tenuiori ad partes internas infernáſque devolvitur, caput ſuperáſque partes relinquit. Quod eò fœliciùs continget, ſi hæc intemperies bilis ex inferis locis ad caput ob virium hepatis eam non ritè diſtribuentis elatæ ſoboles ſit. Hepar enim inuſtionis calore validiùs factum, ſuperfluam bilem ad ſeſe trahit è cerebro, & obſervato naturalis circuitûs ordine partibus refundit, quas hujus excretioni natura præpoſuit. Hinc cerebrum refrigeſcit, & ſiccitas quæ hujuſce intemperiei comes eſt ex eo quod humor nutriculus præ calore nimio ſiſti non poteſt in ea

l. de vict. rat.

sede corporis aufferetur penitùs; cerebrum nutritur, superveniente utriusque differentiæ alimento, *ab igne, humido, & ab aqua, sicco*; ideſt, attracto intra per vigilias, per calorem, humore nutriculo, & per somni frigiditatem apposito.

Intemperies frigida somni & humiditatis præcipuè comes, oritur ab aqua dum superior est igni secum associato, maximè si quis ita obtineat à natura. Triplicem autem illius gradum pariter assignat; antequam morbi naturam præ se ferat, quorum ultimus tardæ insaniæ est proximus, stolidos indigitavit, & uterque ad instar illius qui morbum infert, eger cerebri calore & siccitate quam præter ingesta & assumpta pariunt inustiones capiti & vicinis partibus, collo nimirum inducta. Accurrit enim ad partem debilem ignis cum tenui sanguine, inferas & internas relinquit; quòd eò faciliùs contingit, si hæc intemperies iungatur pituitæ è corpore non satis expurgatæ. Cerebrum enim illius fons inustionum calore validius factum eam, & sociam humiditatem observato naturalis circuitûs ordine per alvum, Ibidem.

vesicam & alia emunctoria expellit.

His patet quid sentiendum sit de intemperie humida & sicca, humida enim si simplex sit, causticis capiti & cervici inustis curanda est, attracto igne quo nimius humor dissipabitur, maximè si frigiditatis sit comes. Dum enim tenuis humor ab igne trahetur in cerebrum, crassi, veteris & morbosi medicamentum erit. Quòd si humida caliditatis sit socia, caustica brachiis admota, summè proderunt, quibus repurgato, ope cordis ab inustionum calore robur adepti, sanguine qui hujusce intemperiei causa est, cerebrum à superflua humiditate citra caloris augmentum liberabitur.

Sicca intemperies, si frigiditatis soboles sit, non satis attracto ob ignis defectum in superas partes humore nutriculo, capite inusto & partibus vicinis, indéque cerebro incalescente *& superveniente alimento, ab igne, humido* aufferetur; Et si caloris nimij sequax sit, inustionibus partium inferiorum præcaveri & sanari poterit, nî in hac & in aliis suprà scriptis intemperiebus, quid aliud contrarium age-

re suadeat, ut dicetur agendo de symptomatis.

Morbi organici qui caput infestant seu figuræ, cavitatum, & meatuum, numeri, magnitudinis, sitûs, quia communium instar seu vulnera seu vlcera sint, inustionum ope nullatenùs præcaveri aut sanari possunt, nisi eadem ratione quæ in aliis partibus; ideo nullam eorum mentionem faciemus.

Est tamen apud Hipp. aqua in cerebro suborta, quam Recentiores hydrocephalon vocant, quæ inter morbos organicos magnitudinis referri potest, ad cujus curationem post validiora purgantia per alvum & nares serum è capite subducentia, sæpiúsque repetita, si affectio non cesset, *secto juxta sinciput capite, ad cerebrum*, id est, usque ad membranas cerebri, *perforato*, ait, *ut velut sectione per terebram, curato*. 2. de morb

Celsus in hoc affectu præscribit inustiones his verbis: *Dissimile est id genus quod humorem in caput contrahit* (à simplici dolore audiendum est) *in hoc tonderi ad cutem necessarium est: deinde imponere sinapi, sic ut exulceret,*

*si id parum profuit, scapello utendum est.*

## SECTIO II.

### *De vigiliis, somno, vertigine.*

INter symptomata cerebri, ea quæ sensui communi & phantasiæ seorsim accidunt, numerantur vigiliæ, somnus præternaturam, vertigo.

Vigiliæ sunt actio sensûs communis & primi exteriorúmque sensuum ad salutem animalium; fiunt ab igne qui omnia movet. Illo enim cerebrum per diem ut decet perfundente animans vigilat; quod si ignis continuò moveatur è corde in illam partem corporis, vigiliæ morbosæ fiunt;
2. Aphor. 3. utque ait Hipp. *Somnus & vigilia si modum excesserint, malum.* Cùm autem nihil magis attrahat ignem è cerebro partibus inferis quàm inusta, his, maximè cruribus & tibiis caustica, non mirum esse debet, si in sedandis vigiliis plurimùm prosint.

Cavendum tamen ne æger admoto

caustico dolorem persentiat. Cùm enim sensatio quævis perficiatur in cerebro ope ignis eam corporis partem necessario calore perfundentis; eodem tempore quo ignis ad partes inustas infernásque devolvitur cum tenui sanguine, ad caput ubi sensuum interiorum sedes est, defertur, & vigilias importunas inducit.

Cavendum etiam ne morbus à quo vigiliæ producuntur, inustiones partibus inferis præscribi vetet. Sic in vera phrenitide inustiones quibus somnus inferri possit, superis partibus admovendæ sunt; Hæc enim, ut suo loco dicetur, quia morbum, interceptionis vasorum solutione auferunt, somnum conciliant. Idem agendum in plevritide in qua ob eamdem rationem ait Hipp. *Bonum esse ut ægri non dormiant, per undecim dies*, quibus attracto vigiliarum ope superis partibus maxime thoraci, calore valido, interceptio vasorum unde dolor è nascitur, causæ fusione solvatur; expuitio quæ fit ex distentione venarum liberalis & libera sit, affectus conquiescat, cujus proinde curationi cum faveant inustiones superiorum partium, somno Lib. de loc. in hom.

qui curationem sequitur etiam favent apprimè, è contra nocent. Contrarium experiaris in ileo & in aliis doloribus eximiis, idest, acutis inflammationibus partium quæ sunt sub diaphragmate; His enim vigiliæ nimiæ calore attracto superis partibus, nocent apprimè, quia crudus humor in venis interceptis refrigescit, ulteriùs: unde fit, ut delirium, si quod per diem in hisce morbis fiat ut Hermophili filio, noctu cesset, agente se per noctem inf. ris partibus nativo igne; unde sequitur inustiones ad sedationem vigiliarum partibus inferis agenlib. 4. das esse. *Quia cum morbum levent*, solvendo impedimenta venarum inferiorum à quibus fiunt, *possunt etiam somnum facere*, ut ait Celsus, nî gravi dolore eas concitent, quod imprimis notandum venit.

Somnus est symptoma vigiliis oppositum, putà quies & cessatio sensûs communis & primi ad salutem animalium, ducens originem à frigiditate cerebri, qui si devolvente se citra morborum injuriam ad partes internas infernásque corporis nativo igne fiat, naturalis habetur; si modum

excesserit, morbosus est, apoplexiæ & graviorum aliorum symptomatum comes. Cùm autem inustiones superis corporis locis inductæ, capiti præ cæteris, ignem ex locis inferis trahant ad illam partem corporis, non mirum, si curationi somni præternaturam mirè faveant. Quòd si experientiis à me factis rem decernere concedatur, testari possum visam nuper ægrotantem mei nominis & familiæ ictero diù afflictam & viginti duos annos natam, quæ per sex menses etiam æstivos (quod grave) nullo alio remedio, nec inustionibus etiam colli excitari potuit à somno, quàm admoto suturæ coronali majore caustico, quo erosis venulis sanguis effluxit, & pericranium ad os ipsum ablatum fuit assis magnitudine. Toto autem tempore quo ulcus permansit in superiore parte capitis quod fuit penè quadraginta dierum, somnus aliàs ineluctabilis cessavit, posteà rediit, & appositis ad suturam lambdoidem cerebelli tribus causticis in figuram cunei & concitato inde ptyalismo seu à mercurio assumpto vel admoto, tandémque corizâ longiore & graviore prorsùs finivit. Historia.

At cùm post aliquot annos, æstate, somnus, ptyalismo & corizâ conquiescentibus, ægram denuò prehendisset, è vivis abstulit.

Vertigo ultimum symptoma læsæ functionis sensus communis & imaginationis in quo omnia circumagi videntur in gyrum, ita cerebrum & sensus exagitans ut æger sæpiùs concidat nî propinquis nixus adminiculis casum vitet, aliquando cum visûs obtenebratione, generatur à crasso aëre quem pituita aut bilis atra cerebri vel partium inferiorum vasis affixa in eam corporis sedem emittit. Cùm enim solvi non possit à tenui calore, versatur in gyrum intra cameratos capitis sinus, & species sensibiles quæ illius ope deferuntur in cerebrum, in similem motionem ducit. Hinc facilis est convulsionum quas crassus humor affixus venis principij nervorum ingenerat in vertiginem mutatio ut
7. Epid. *Eumelo Larisseo*, similiter & melan-
5. Epid. choliæ ut *Democli*

Cùm autem inusta superiori corporis parti cauteria ignem nativum trahant ad cerebrum, id necessarium resolvendis flatibus vires acquirit & vertigo

vertigo dissipatur. Indéque ait Hipp. *Cùm capitis dolores contigerint, in eo caput multâ aquâ calidâ lotione calefacere confert, & sternutamento concitato pituitam & mucos educere. Ex quibus si dolor solvatur, hæc satis sunt: sin minùs caput pituitâ repurgandum & sorbitione in victus ratione utendum & in potu aqua. Vinum autem minimè offerendum, quoad dolor sedetur. Vehementior enim dolor evadit, ubi caput calidum, vinum attraxerit. Dolores autem ex pituita ingruunt ubi in capite mota & coacervata fuerit. Quod si subinde dolor & tenebricosa vertigo in caput incidat, hæc quidem admota prosunt. Iuvat etiam sanguis è naribus detractus. At si diuturnus & vehemens capitis morbus evadat, neque capite purgato tollatur, in eo caput pertundere aut venas circumadurere convenit. Hæc enim unica sanitatis spes relicta est.* Idest, cùm capitis dolores fiunt à pituita lateribus venarum affixa sistentéque membranis ignem, caput multæ aquæ calentis, ut thermarum lotione confert excalefacere, pituitam & mucos sternutatoriis subducere; Quòd si dolor non solvatur: caput à pituita denuò purgandum est, aqua in potu danda,

Lib. de affect.

ne pituita vini caput ferientis calore ulteriùs moveatur & morbus ingravescat. Quòd si dolor cum tenebricosa vertigine subinde fiat, seu apoplexiæ, convulsionum aut alterius gravioris affectus præludium, remedia superiùs dicta prosunt, aut sanguis detractus è naribus, aut è vena frontis; quia anemiem, idest, venarum inconspirationem tollit, sublatis illarum impedimentis. At si diuturnus & vehemens morbus evadat, neque aufferatur capite suprascriptis purgato existente, caput scapello pertundere & inustiones crebras partibus quæ venis communicant, inducere confert, ut attracto, ad partes superas doloris & caloris ministerio, igne nativo, tam gravis affectus incitabula observato naturalis circuitus ordine per alvum & vesicam è corpore subducantur.

Cavendum tamen ne admotis capiti humoribus gravido causticis, vertigo ulteriùs insolescat. Ea enim est hujusce affectus natura, ut ad graviora remedia quibus crassi halitus mirè agitantur in cerebro magis magisque sæviat & conquiescente illo finiatur Hinc cùm Zacutus Lusitanus vertiginosi cujusdam

Cap. 12. prax.

caput grandi cucurbitula & durioribus causticis afflixisset, ut saniem quam cauteria, si utilia esse debeant, largè profundere debere sibi falsò persuaserat, plurimam extraheret, morbus causę agitatione gravi statim recruduit, inustóque tandem infra aurem levi caustico & roborato cerebro citra vim illatam ab igne tenui, maximè juxta partem unde causa præcipua labis efferebatur, protinùs conquievit, ut bregmatis inustione sæpiùs contingit.

Quòd si crassus aër vertiginis causa è partibus inferis suscitetur, earum, maximè lienis habenda ratio. Hic enim dum præ imbecillitate frigiditatis sobole crassum humorem non expurgat è corpore, flatuum crassorum generationi mirè favet. Applicanda ergo in hoc casu juxta lienem, aut partes respondentes crus & tibiam sinistram cauteria quibus pars hæc necessario robore prædita, veteris officii veluti memor evadat, & humorem atrum observato naturalis circuitus ordine per alvum & vesicam expurget. Zacut. lib. 1. hist. Med. princ. obs. 16.

Idem agendum si affectio concitetur ab utero, aut à ventriculo; appositis enim ad pubem, crus, aut tibias cau-

ſticis, calor naturæ medicatricis remedium ad partes internas attrahitur, quo, ſanatâ affectione primariâ putâ ſuffocatione uteri, ſecundaria, vertigo nimirum conquieſcit; quia *ad primam* 2. Epid. *mali cauſam, cauſæ occaſionem & primordia* ventum eſt.

## SECTIO III.

### *De Inſania.*

ALtera claſſis ſymptomatum quæ ſequuntur morbos capitis, eſt phantaſiæ, ratiocinationis & memoriæ, quæ minuuntur, abolentur, depravantur.

Has omnes comprehendit Hipp. deſipientiæ & inſaniæ nomine, cujus duplicem ſpeciem facit, aliam tardam & ſtolidam, aliam celerem & furioſam.

Tarda triplex eſt: prima naſcitur ab humore tenui, ſanguine, pituita, aut ſero cerebri ſubſtantiam diluente & nutritionem illius fraudante; alia ab eodem humore tenui ſed bili permixto, & in prædictæ partis aut pulmonis

substantiam effuso, ultima ab humore melancholico cerebrum nutriente procedit. Prima, fatuitas; altera, letargus; ultima melancholia nuncupatur.

Insania celer & furiosa triplex est, alia quæ incenso cerebro fit ab igne illud perfundente, & simplex delirium sive paraphrenitis nominatur; altera, inflammatâ substantiâ cerebri vel præcordiis, & phrenitis dicitur. Ultima à bile cerebri nutritionem corrumpente procedit, & mania nuncupatur, de quibus seorsim agendum.

Est autem fatuitas, phantasiæ, ratiocinationis & memoriæ infirma functio, à nimia humiditate cerebri ducens originem. Ut enim necessarium est ad prudentiam, ut *id quod in igne est maximè humidum & in aqua maximè siccum temperationem obtineant*, in corpore, id est, ut humor melancholicus qui cæteris siccior est dominatum obtineat unà cum vero sanguine quo purissimus ignis parem humoris tarditati velocitatem habens nutriatur, & melancholico humore constantia; igne autem tenuioris sanguinis portiunculâ enutrito functionum velocitas comparetur, *si aliquo superinducto usus fuerit quis-* 1. de vict. rat.

*piam, & horum unumquodque increverit aut contabuerit, imprudentissimus homo fit*; ideſt, ſi aliquod ex principiis ſuperiùs enarratis, putà humoris melancholici & veri ſanguinis parem ignem nutrientis adaugeatur vel minuatur, à prudentia deſciſcit homo. Si ignis validior fiat, delirium furioſum adeſt; ſi melancholia aut bilis cerebrum nutriant, melancholia & mania in promptu ſunt; ſi nimia humiditas, fatuitas quam Hipp. deſcribit his verbis: *At*
Lib. de morb acr. *inſania quidem nobis ab humiditate contingit. Cum enim natura humidius fuerit, agitari neceſſe eſt, atque ubi movetur affectio, neque viſionem, neque auditionem conquieſcere, ſed aliud interdum cernere & audire neceſſe eſt, quoquo autem tempore cerebrum conquieſcit, eo etiam homo ſapit*, ideſt, ac ut de inſania tarda, fatuitatem vocant, ſermonem agam, hæc à cauſa contraria illi, unde prudentia fit, cerebri nutritionem fraudante originem ducit, nimirum ab humiditate nimia quam pariunt ſanguis tenuior in infantibus, in cæteris ſerũ aut pituita tenuiſſima. Cùm enim cerebrum naturâ humidius fuerit, facilè agitari, & ignem quo perfunditur

in sensus illabi citra moram, ac proinde neque visionem, neque auditionem conquiescere, sed aliud interdum cernere & audire necesse est, linguam, eadem quæ singulis momentis audit & videt effari, quod insipientis prorsùs est; quoquo enim tempore cerebrum conquiescit, oblatas species distinguit, ex iis phantasmata ut par est componit, judicat, memoratur, eo etiam, homo sapit, & prudentiæ notas edit.

Duplex est autem fatuitas, nativa quæ à natura est, & ascititia quâ prudens successu temporis hebescit ab humiditate nimia, quæ dum propriam, *suique generis substantiam* à cerebro trahi vetat, & nutritionem fraudat; illud imminuit, inde dictum non sine ratione, *fatuos caput habere cerebro vacuum.* Arist.

At quamvis nativam affectionem aufferre difficile sit, ne dicam impossibile & ascititia, diuturniore temporis spatio egeat ad curationem, utrique præter cætera quæ Hipp. præscribit, inustionibus capitis non parum afferetur emolumenti. Cerebrum enim roboratur attracto igne quo superflua humiditas per loca conferentia,

alvum, vesicam & alia potest externi.

Quòd si contingat: utque ait Plato, *si nutritionis & augmenti*, idest, humoris pro nutritione & augmentatione ad caput sese efferentis *rivus*, *leviùs minúsque fluat*, *& anima*, idest, & ignis in cerebrum evolantis *circuitus tranquilliore motu iter suum peragant*, *tunc circulorum directæ conversiones ejusdem atque alterius naturam probè discernunt*, idest, species sensibiles citra confusionem suscipiuntur in cerebro, secernuntur, phantasmata & ratiocinationes ex iis eliciuntur, quæ *hominem institutum & prudentem efficiunt*; caput sui generis substantiam trahit, nec ampliùs cerebro ita est vacuum.

In Tymæo.

Melancholia altera species insaniæ tardioris, est imaginationis & ratiocinationis depravatio sine febre cum timore & mœstitia, eáque duplex, alia quæ præcordiis ab atro humore infectis enascitur, alia quæ cerebro. Ut enim non modò necessarium est, ad functiones animales edendas, ut cerebrum è quo tanquam è sede promanant, rectè se habeat, sed etiam ignis respondens elemento stellarum qui è corde fluit in eam partem corporis,

& *quo anima omnia in corpore operatur*; si cerebrum afficiatur in propria substantia, *transmutetur*, ut ait Hipp. idest substituto in locum propriæ suíque generis substantiæ quâ vera nutritio fit, humore atro, cachexiam incurrat, melancholiæ symptoma auget, non secus ac oculis nigro colore suffusis; linguâ alienis humoribus imbutâ, visûs & gustûs sensoria depravatas functiones edunt; quia quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur. Idem contingit, si ignis qui è corde fertur in cerebrum humoris atri portiuncula nutriatur; Melancholicam enim naturam inducens; quamvis cerebrum rectè sese habeat, functiones humoris atri participes agit & melancholiam à præcordiis oriundam in eo parturit.

Arist. lib. de resp. cap. 2. lib. de morb sacr.

Generatur humor prædictus qui melancholiæ causa fit, vitio fontis, putà lienis qui principium & finis est hujusce humoris, à quo si non satis expurgetur; sed cerebrum invadat propter naturæ similitudinem & nutritionem fraudet, aut inficiat ignem qui è corde influit in cerebrum; melancholia hominem premit. Indéque est;

ut hæc affectio difficulter eradicetur. Quamvis enim lien hyeme ob ventris calorem robustior sit; & humorem atrum rectiùs distribuere videatur; attamen qui in cerebrum irrupit propter loci frigiditatem quam hyems apprimè auget, difficulter ex ea parte in fontem derivatur, crassior fit & gravior, unde mœrorem & mœstitiam auget, non secus ac *nocles magis quàm dies delirii significationem exhibent*, ut expertum in *Nicanore* & aliis ægris. Inde ait Hipp. *hyems spleni plus affert timoris*. Vere autem, æstate & autumno etsi cedat affectio, quia cerebrum magis incalescit, & humor qui illud malè agebat, ad lienem attrahitur, & ex eo foras propellitur; attamen quia lien hisce tempestatibus præ frigiditate non ita est validus, humorem atrum ex ea corporis sede æmula glandulæ vix prorsus trahit, sed partem & fomitem in ea relinquit, cujus color cernitur in membranis oculorum, absque ictero universi corporis unde successu temporis similem affectum potest inferre.

Hipp lib.de vict. rat.in morb acut.

5. E-pid.8 aph.8

Cùm ergo apposita lieni, cruri sinistro aut tibiæ caustica ignem nativum

trahant ad eam partem corporis, roboréntque præcipuum fontem humoris atri, hic obſervato naturalis circuitus ordine prædictum humorem expurgat è corpore, & melancholiæ remedium affert.

Nec ſola partis mandantis putà lienis habenda ratio in hoc affectu, ſed etiam capitis: quòd ſi eam cachexiam atri humoris incurrat, quæ appoſitis ad lienem & partes vicinas cauſticis tolli non poſſit, inurendum eſt, ut conciliato robore neceſſario quod ſibi noxium eſt, vel à ſeipſo repellat, ut fit æſtate potiſſimùm, vel trahenti lieni citiùs præſtet. Indè multiplici experientia compertum eſt; attracto ad cerebrum vel præ fracturis, caſu, vel arte ut trepano factis igne, invaleſcentéque eâ corporis parte, melancholiam & dolores vetuſtos capitis finiiſſe, ut convulſiones & vertiginem qui affectus ſunt illi congeneres, *Eumelo Lariſſeo.* 7. Epid.

Inſania celer & furioſa duplex eſt, alia cum febre, quæque incenſo ob ignis in caput ſeſe efferentis ardorem cerebro fit, alia quæ citra febrem à bile cerebrum nutriente. Hæc, mania, de

qua posteriùs, illa phrenitis nuncupatur.

Phrenitis apud Hipp. duplex est, alia quæ oritur à mero cerebri incendio ignis citra humoris invalescentis sobole, & paraphrenitis dicitur; alia quæ ab inflammatione quam parit venularum cerebri aut membranarum illius interceptio à crasso humore unà cum bile, aut erysipelas partium prædictarum & vera phrenitis dicitur, de quibus seorsim.

Ex eo autem quòd phrenitis vera ad instar aliarum inflammationum ducat originem à crassis humoribus & à bile flava venulas cerebri aut membranarum intercipientibus, quibus ignis retinetur substantiæ illius & delirium phreniticum parit, causæ sublatione per inustiones partium superiorum facta, ut mox dicetur, auferendum. Hipp. has inflammationes, dolores vocat in aphorismis & ὀδύνας ἀποκεκρυμμένας, id est, dolores eximios ut non rectè exposuit Foësius, occultos, ut vertit Cornarius, sed veriùs exemptos & secretos quisquis appellitet; cùm non modò secreti & occulti sint in corpore, idest, citra tumorem, sed ab humore crasso

Lib. de nat. puer.

è cæteris secreto & exempto, venulas partium convellente fiant, dum qui tumoris participes sunt à permixtis tenuibúsque succis venulas divellentibus procedunt. Inde etiam prædictas inflammationes ἀλγήματα μὴ μετέωρα, 6. Aphor. 7. ideſt, dolores non ſublimes appellat & illas quæ ſunt cum tumore ἀλγήματα μετέωρα, ideſt, dolores ſublimes indigitat. Illi graviores ſunt; hi leviores; quia in his ignis liberiorem per venas ex arteriis circulationem agit, nec partibus adeo ingraveſcit quemadmodum in illis, *dolores ventris*, ideſt partium, *ſublimes, leviores; non ſublimes, fortiores*. 6. Aphor. 7.

Paraphrenitidem nullo negotio incurrunt, qui caput à natura calidius obtinent, quorum triplicem gradum eſſe ſuperiùs diximus, prout ſcilicet ignis ſocium humorem magis aut minùs vincit in ea corporis ſede.

Concitatur variis de cauſis vigiliis, profluvio ſanguinis, febre ſimplici vel maligna eſſentiali aut comitata & aliis; nec inuſtionibus eget ad curationem, niſi hæ, cauſæ illius ſubductioni imprimis faveant. Quod ut in conſiderationem debitam veniat; ſpectandum,

si curari debeat, aut non. Curari debet si febri citra malignitatem aliísque causis succedat, quia procedit ab augmento caloris in quo tota morbi essentia posita est, & refrigerantibus assumptis capitique admotis venæ sectione tali & inustionibus citra gravem dolorem ad partes inferas appositis eget, quibus calor ad partes prædictas, ideſt, infernas devolvatur & caput relinquat, unde cerebrum conquiescit. At si malignæ febri essentiali superveniat, à prima fronte curandum non est, cùm illius curationi apprimè faveat; indéque Hipp. ait: *tria esse quæ magnum morbum*, ideſt, febrem malignam essentialem curant, *hæmorragiam, surditatem & maniam*, ideſt, delirium simplex, sed facta ad instar eorum qui maniâ detinentur. Hæmorragiâ enim & surditate malignus & febrilis humor è corpore subducuntur, superveniente, surditati, diarrhæa bilis quæ illam invexerat; & delirio simplici validum ignem in cerebrum ferri manifestatur, quo pituita crassa malignitatis parens validiùs attenuari, solvi & per crises educi potest. Augendum ergo, sine metastaseos crassi humoris in-

2. Epid.

caput agendæ periculo, inustionibus superiorum partium aliisque modis quos affert Hipp. nec hujus loci est recensere, potiùs quàm aufferendum, nisi post integram causæ malignæ cujus hostis & remedium est, subductionem, delirium istud. Indéque ait Hipp. *febres acutas cum mentis perturbatione in oris ventriculi dolore non bilioso, insania solvit*, ideft, febres essentiales malignas cum simplici delirio neque bile è venis majoribus ad inferas corporis partes ubi fontem habet, ruente, maligno scandente ad superas ubi cerebrum habet pro principio & fine, ex eó quod à socii putà bilis compage solutus fuit, unde interceptis venulis phrenitis vera concitaretur; insania, hoc est, delirium ingravescens, sed simplex à mero cerebri incendio sine venarum impedimentis, malignæ causæ fusione valida solvit. Hinc *Halicarnasseo Zantippi* cùm maligna febre laboraret, malis rebus secta fuit vena juxta *Mnesimachum*, ideft, ad mentem Mnesimachi Medici, putà in malleolo; quod denotatur ex eo quod caput refrigeratum fuisse ait Hipp. sectio enim venarum brachii sola evacuatione im-

55. coac.

7. Epid.

hoc casu, sectio venarum malleoli, evacuatione simul & revulsione ignis ad partes inferiores id præstat; unde ulteriùs refrigerat Quia ergo cerebrum *Halicarnassei* à vena secta in talo refrigeratum fuit, humor malignus solvi non potuit, sed ulteriorem crassitiem adeptus est, & mortem intulit. Hîc est quod vulgi Medicorum errorem non parum increpent: qui ubi aliquem febre delirio juncta detineri conspiciunt, statim ad venæ sectionem malleoli nullâ habitâ simplicis delirii & phrenitidis distinctione confugiunt. Ut enim in febre simplici mirè prodest, ignem & sanguinem trahendo ad partes inferas unde cerebrum refrigescit & delirium cessat; in febre maligna essentiali, cerebri pituitæ fontis & metropolis frigiditate, malignitas ingravescit, eò maximè si humor malignus factâ metastasi ad venas cerebri, earum angustia vehente igne phrenitidem intulerit; aut si vera phrenitis à seipsa inceperit. Recrudescit enim malignus & crassus humor à cæteris secretus, socio humore & igne ad partes inferas ob venæ sectionem in iis locis factam ruentibus ferè orbatus &

necem infert, ut ego sæpissimè non sine gravi dedecore miserorum Medentum evenire conspexi. Secanda ergo vena in hisce casibus juxta partes superiores brachia & caput, quo calor trahatur ad cerebrum, & malignus humor prædictæ partis quam cordi refrigerando natura præposuit, incalescentis ministerio ulteriùs coqui, fundi & prorsus eliminari possit è corpore.

Idem agendum de inustionibus, quæ si scapulis adhibeantur, incenso ulteriùs cerebro, caloris ad illud attracti ministerio, humoris maligni fusionem & coctionem uberiùs fovent, somnum conciliant, delirium aufferunt, vitámque servant. Idem præstat febris ingravescens, quia convulsionem, idest, interceptionem venarum solvit. Indéque *Alcippus cum insania laboraret*, ob suppressionẽ hæmorrhoidum, *febre acuta superveniente curatus fuit*. Quia, ut ait Hipp. *Convulsionem* à crassis succis venas impedientibus enatam & si in venis cerebri fiat, phrenitidis veræ causam *solvit febres acuta, aut quæ priùs adfuit ingravescens.* 1. Epid. 358. coac.

Celsus in curatione phrenitidis cucurbitulam admovet inciso occipitio,

quo somnus inducatur, ac proindè delirium cesset, quod tamen à ratione alienum videretur, quia cucurbitula multo igne & scarificatione inustionum more ignem nativum & sanguinem trahit partibus superis, unde somnus arceri potiùs quàm inferri & delirium augeri posset; nî contrarium eveniret, causæ, putà κωλυμάτων intra venas idest, impedimentorum & interceptionis reseratione. Hac enim contingente ob fusionem crassi humoris qui à sociorum compage solutus erat, factam ab igne attracto, phrenitis cessat, cerebrum refrigescit, agente se ut decet igne venarum cavitatibus; unde non mirum esse debet, si somnus accedat, & delirium cesset.
Lib.4 Sic autem loquitur Celsus: *In phrenitide neque alienum est, si neque sanguis ante missus est, neque mens constat, neque somnus accedit, occipitio inciso cucurbitulam admovere, quæ quia morbum levat, potest etiam somnum facere* & delirio remedium afferre.

Nec eadem esse debet medendi ratio delirii quod sequitur febrem accidentalem & comitatam è partibus inferioribus capite enatam quæ naturæ

malignantis eſt phrenitidis inſtar, ob humorum improportionem unde oritur; aufferri enim debet licèt ſimplex ſit & malignitati conjunctum; quia ab illa partibus ingraveſcente procedit. Ut autem ſi febris comitata proveniat à dolore eximio & inflammatione partium diaphragmati ſuperiorum, ut plevritis, peripnenmonia & inuſtionibus partium ſuperiorum phrenitidis more curari debet; quia cùm morbum levent, impedimentorum putà interceptionis venarum reſeratione, poſſunt etiam delirium arcere & ſomnum facere; ſi in partibus inferioribus diaphragmate fiat, ut ileus, inflammatio hepatis, renum, uteri, & inuſtionibus partium inferiorum ſanari debet; quia cùm morbum levent interceptionis vaſorum ſolutione, poſſunt etiam ſomnum facere & delirium aufferre. Inde *Policratis uxor* peripneumoniâ laborans, agente ſe per diem, ut per inuſtiones partium ſuperiorum fit in pulmones igne nativo, faciliorem ſpirationem habebat; *Hermophili filius* ileo conflictatus delirio tenebatur, quod, devolvente ſe per noctem, ut per inuſtiones partium inferiorum

5. E- pid.

7. E- pid.

ſolet fieri ad inteſtina igne nativo,ceſſabat, refrigeſcente cerebro. Vide caput de phrenitide.

Mania ultima ſpecies inſaniæ celeris & furioſæ eſt delirium ſine febre & timore, cum audacia, ira, furore, jurgiis,à flava bile cerebri ſubſtantiam nutriente, melancholiæ inſtar ab humore atro ducens originem. Colligitur prædictus humor in cerebro,nutritionem fraudat & cachexiam infert præ caloris debilitate, quem cùm mirè augeat inuſtum bregmati aliiſque locis cauterium, non mirum ſi hujus ope affectio prædicta ſæpiùs conquieverit, ut attracto ad eandem corporis partem è præcordiis incaleſcentibus, vi trepani aut fracturæ per caſum factæ igne nativo

At quia bilioſus humor è ſuo fonte qui ſub jecore eſt, non ſatis expurgatur, & ideo in eam corporis ſedem irrumpit, aut in præcordiis injicit ignem qui proportione reſpondet elemento ſtellarum, unde pravas ſenſationes in cerebro fieri neceſſe eſt, cauſtica partibus infernis, hepati, cruri dextro aut tibiæ admota, unde neceſſarium robur infertur jecori quo ſu-

perfluam bilem, observato naturalis circuitus ordine, è corpore refundat, apprimè inserviunt.

## SECTIO IV.

### *De comate vigili, & letargo.*

TErtia classis symptomatum capitis est eorum in quibus sensus interni, communis, imaginatio & memoria simul læduntur, nimirum coma vigil & letargus qui habentur aliquando pro eodem symptomate.

Est autem coma vigil vehemens in somnum propensio cum impotentia dormiendi, in qua ægri oculos clausos habent ut dormire videantur, cùm tamen vigilent, oculos facilè aperiunt & delira loquuntur, manus & crura totúmque corpus inordinatè movent.

Generatur à pituita tenui, bile & sanguine in anterioris cerebri substantiam effusis, ea tamen lege ne arterias validiùs premant, sic enim apoplexia generaretur. A pituitæ enim frigiditate stoliditas & propensio in somnum,

à bilis calore febris & vigiliæ fiunt.

Congeruntur hi humores vel vitio cerebri, vel metaſtaſi in aliis morbis, maximè in febribus malignis in caput facta.

In priore caſu inuſtiones apprimè inſervient capiti aut vicinis partibus inſtitutæ, quibus calor nativus qui illorum humorum copiâ languet, vim & robur obtineat, quo pravam colluviem per loca conferentia purgare poſſit.

Quòd ſi hæc affectio inducatur cerebro è partibus infernis, venis potiſſimùm majoribus, ubi materia febris malignæ geſtatur, partis mandantis habenda ratio, ut dictum ſuperiùs.

Letargus eſt inexpugnabilis propenſio in ſomnum cum febre lenta & facultatum principum læſione, torpore, ducens originem à ſuccis ſuperiùs in comate enarratis, & in poſterioris cerebri aut pulmonis ſubſtantiam effuſis, citra divulſionem venarum principii nervorum; & arteriarum interceptionem exteriùs aut interiùs factam, metu catalepſeos & apoplexiæ quæ à prædictis cauſis inferuntur, cùm oblivione, ſi è cerebro ducat originem; cum

*sputo*, *tussi*, *empyemate*, si è pulmo- 140.
ne. Inde enim cerebrum aut ignis qui coat.
è corde fertur in illud ut animales
actiones edat, pravam naturam induit,
& letargicas functiones parit.

Quòd si inustiones capiti in eo affe-
ctu qui è cerebro prodit, aut thoraci
in eo qui oritur à pulmone; in quo æ-
ger *plurimùm spuere, cal fieri & à vino* 3. de
*abstinere debet*, instituantur, si malum morb
quod ineluctabile est, utplurimùm,
maximè cum à pulmone fit, superari
possit, dubium esse non debet, quin
roboratis prædictis partibus unde recta
excrementorum anadosis fieri poterit,
ægrorum emolumento succedant.

Celsus sinapi quo ulcera inferuntur,
naribus, capiti & fronti admotum ap-
primè laudat his verbis: *Præcipuéque* Lib. 3
*profuit ad excitandum hominem, naribus* cap.
*admotum & ad morbum ipsum depellen-* 20.
*dum capiti frontive impositum sinapi.*

Zacutus letargicos à somno & à Obs.
morte illius imagine sese liberasse glo- 17.
riatur, candentibus ferramentis verti- prax.
ci capitis, occipiti & circum circa, admir
imo & post aures admotis, quibus
attracta cum igne valido ad caput bile
incensóque ulteriùs cerebro, ut acce-

dente surditate critica evenisse comperit; pituitosus humor non tam ulceribus, quàm naribus & cæteris urinæ ventrísque viis à natura observato circuitus vulgaris ordine è corpore subductus fuit.

Lib. de febrib. n. 7. In gravem errorem incidit hic Autor dum ignarus præcipuæ rationis quâ inustiones in morbis conferunt, vocatus ad letargicum qui tribus diebus ita profundè dormiebat, ut nullis factis tum universalibus, tum particularibus auxiliis expergisceretur, Pauli revulsionem per extremas corporis partes imperitantis consilio, ac quasi oraculo, ut ait, præscripsit sinapismos in plantis pedum, qui nihil profuêre, imo attracto partibus igne, nocuisse magis quàm doloris occasione profecisse existimaverim. Cùm autem duo cauteria benè ignita in ipsis plantis pedum admovisset, sanatus est, non revulsione humoris letargum producentis ad corporis inferiora & emanante sorditie multa (ut ipse autumat) per ulceratas partes ignis impositi locia; sed attracto ad cerebrum quod sensus omnes retinet, præ dolore valido ob exquisitissimum sensum volæ plantarum

rum igne è reliquo corpore, oblatiſque caſtoreo & agarico, quibus pituita ſuperata fuit in ea parte corporis; unde factum eſt, ut quem ratio applicatione ſinapiſmorum pedibus reſtituere non poterat læſeratque, Medentis temeritas adjuverit.

---

## SECTIO V.

*De laſſitudine, ſternutatione, pandiculatione, oſcitatione, inquietudine, tremore, horrore, rigore, perfrictione, paralyſi, convulſione.*

QVarta claſſis ſymptomatum capitis eſt eorum in quibus facultas motrix læditur. Sunt autem laſſitudo, ſternutatio, pandiculatio, oſcitatio, tremor, horror, rigor, perfrictio, paralyſis, convulſio.

Laſſitudo eſt ſenſus quidam mœſtitiæ in partibus motui animali dicatis: duplex eſt, non ſpontanea quæ ſine humorum vitio per nimios labo-

res infertur; & ſpontanea quæ ſpontè ſolo humorum vitio premit, eáque triplex, tenſiva quæ plethoram ſequitur, ulceroſa quæ materiæ acris & mordacis cutem erodentis filia eſt, phlegmonodes utriuſque particeps.

Quamvis autem in iis præcavendis inuſtiones vix in uſum adducantur, attamen ſi partibus undè materia laſſitudinis ſpontaneæ in cutem fertur, admotæ ſint, ut in ulceroſa à bile, hepati, cruri dextro, aut tibiæ; ab acri ſero à liene non ſatis expurgato, lieni aut cruri ſiniſtro vel tibiæ; roboratis partibus quarum vitio pravi humores per corpus efferri ſolent, rectà excretio illorum in veſicam & alvum ſuccedet, & laſſitudo non tam facilè invadet; maximè ſi pleonexiæ partium ſuperiorum, earum cauteriis aliiſque remediis conſulatur.

Sternutatio, pandiculatio, oſcitatio: quia ſunt naturæ medicatricis ſymptomata, quibus quod cerebro infenſum eſt, ſternutatione; quod partibus externis pandiculatione; internis, oſcitatione decumbat, inuſtionibus non egent, ni cauſæ graviori accommodentur. Vnde hæc ſymptomata profi-

cifcuntur. Idem ftatuendum de inquietudine.

Horror, rigor, tremor, perfrictio, funt fymptomata facultatis motricis à frigido venas & fanguinem permeante nervifque ipfis illato, fi tremor continus fit, oriuntur autem præ cæteris à cerebro, pituita non fatis expurgata & *refrigeratis fontibus fanguinis*, ideft, majoribus venis. Indeque dictum *rigor à fuperioribus partibus fere ortum* ducit; 3. de morb.
Aliquando ex inferioribus maximè, in mulieribus ex utero ut, *ftimargi ancillæ Idumeæ*: fi à fuperis locis ortum ducant, inuftiones juxta illas agendæ, quibus robur inferatur capiti, undè prædictum humorem ut decet expurgare poffit: fi ab utero, tibiis; ut devolvente fe ad partes inferas & uterum igne nativo, fuffocatio conquiefcat, & univerfi corporis tremor, quia ut dictum: *ad primam mali caufam, caufæ occafionem & primordia deveniendum eft.* 6. Epid. 5. 29. 2. Epid.

Paralyfis eft parti cuipiam, quod apoplexia toti corpori, refolutio nimirum fenfus vel motus, aut utriufque; totum corpus occupans excepto capite ut nobis experientiâ innotuit, vel me-

diam partem, & dicitur hemiplegia, vel membrum peculiare.

Generatur vel nervis laborantibus è quibus tanquam alveis species sensibiles deferuntur in cerebrum, vel arteriis sensuum, ita ut aërem calidum expirare non possint, quò frigidum exteriùs & cum eo species sensibiles trahant in nervos mutua societate arteriis conjunctos, indéque in cerebrum, *cui quantum aëre communicaverit, tantùm corpori prudentiæ & intelligentiæ accedit.* Lib. de morb. sacc.

Cùm ergo hæc affectio trahat originem à pituita arteriis aut nervis affixâ inustiones capiti illius fonti aut partibus consentientibus admotæ mirè proderunt roborando eum corporis fontem, cujus ope prædictus humor naturalis circuitus ordine per alvum, vesicam & alias partes aufferetur, nec arteriis nervisque, κωλύματα, idest, impedimenta ulteriùs inferet.

At quia non tantùm partis mandantis, sed etiam recipientis habenda est ratio, inustiones parti laboranti præmissis universalibus admovendæ sunt, ut brachio paralytico,

eidem parti; quò ignis nativus fortiter ad illam invitetur; arterias crassâ pituitâ interceptas reseret, nervos roboret, & humorem nutriculum è venis in eas partes trahat. Quod ita contingere partium inustarum natura satis supérque demonstrat. Cæteris enim calidiores quidem sunt, sed tenuiores fieri solent, ex eo quod licèt humor nutriculus in eas validiùs attrahatur quàm in oppositas, & nutritio fiat *superveniente alimento, ab igne, humido*, frigiditatis necessariæ defectu incrassari, apponi & cogi non potest; & nutritio quæ fit *superveniente alimento, ab aqua, sicco* succedere nequit; undè necesse est ut extenuentur. Idem contingit in paralyticis, sed à causa prorsùs contraria; extenuantur enim & pallent, quia humor nutriculus in illas trahi non potest, idest, nutritio fieri non potest, superveniente alimento; ab igne, humido, sed si quid in illas deferatur, partium frigiditate concrescit *in saniem qua musculi & nervi replentur dum ægrotant*, ut ait Hipp. Quòd si inustiones brachio v.c. opposito & sano præscribantur, quamvis ignis è partibus infernis ad supernas

Lib. de Alim.

Lib. de Arte.

tum ægrotantes tum ſanas attrahatur à natura uniformiter, difformiter agente; attamen inuſtionum calore ad partes inuſtas validiùs attrahitur quàm in alias, non ſecus ac contingit in plevritide, ſi vena brachij oppoſiti partis dolentis ſecetur. Eodem enim tempore quo humor ad partem venæ ſectæ propinquiorem attrahitur, in oppoſitam, ſed non eodem robore fertur, unde earum interceptionem non ita poteſt recludere & *anemiem* aufferre.

Celſus ad partium paralyſim illarum inuſtiones probat his verbis: *prodeſt*
Lib. *etiam torpentis membri ſummam cutem*
3.cap *exaſperaſſe, vel urticis cæſam, vel im-*
28. *poſito ſinapi, ſic ut ubi rubere corpus ca-*
Lib. *perit hæc remoueantur.*
1.prax Zacutus ſtuporem partium ſentien-
cap.10 tium paralyſeos vel prævium vel ſequacem, cauteriis ad partes admotis ſe ſanaſſe ait, ratione à nobis adducta, moremque imitatus incolarum Africanorum & Peruanorum qui refrigeratos totóque corpore algidos ſalubriter & ſine noxa perſanant, partes torpidas ac velut è mortuas novaculis candentibus bis aut ter per intervalla percutientes & ſcarificantes, ex qua ſcari-

ficatione ichores manant, flatus discutiuntur, crassi humores funduntur, meatus dilatantur, sanguis cum calore attrahitur, & sic partes roborantur: Vnde concludit his verbis, utere quia ex se mirabilem præstat utilitatem.

Convulsio duplex statuitur: alia dicitur motus convulsivus, alia convulsio. Motus convulsivus est motus validus quo natura quæ partibus nervosis infensa sunt, reciproca illarum extensione & contractione, ac quasi recto reflexóque motu tentat excutere. Convulsio est affectio præter naturam quæ nervosas partes prædictas musculorum ad eandem affectionem cogit in quam à facultate motrice cum naturaralem servabant habitum ducebantur, utraque universalis, vel particularis, simplex vel alij affectui complicata.

Vtriusque affectus eadem est productionis ratio, quæ ut laconico sermone proferatur, & verba Medicorum quæ in hoc symptomate describendo propiora fuere verbis musicorum & fabellas canentium propiora fiant verbis demonstratitorum: notandum est ad motum animalem præter alia quæ re-

quiruntur ex parte organi, ut explicabimus suo tempore, necessarium esse aërem quem venæ suppetunt fibrosis cavitatibus musculorum unà cum sanguine illorum substantiæ ad laxitatem; & ignem quem arteriæ impertiuntur ad motum. Quòd si ad voluntatis nutum, aër prædictus ab igne ex arteriis in fibras prædictas circulationem agente diffundatur, impellit quàm citiùs illas, resistentiam superat; moventur fibræ versus principium quod est musculi medium, flexio fit, & à flexione distensio & contractio; quia ut ait Arist. *grave*, nimirum musculus, *sursum fit à leviore*, idest, ab aëre *devictum*.

Lib. de mot. anim. cap. 6

Vt autem arteriis interceptione laborantibus generatur paralysis, utpote musculis, eo quod omnia movet, igne nimirum orbatis; sanguine ob venarum repletionem, idest, impedimenta & interceptiones, aut ob inanitionem, idest, exhaustum prædictis partibus denegato, concutiuntur illæ à prima fronte, eò quod aër inclusus nervorum cavitatibus ab igne incenditur, & nervosas propagines ferit, conatur natura recto veluti pandicula-

tionis motu exturbare: sed cùm non possit, veluti reflexo tentans agere quod impeditur agere recto, partes recurrunt, quatiuntur & calcitrant, donec exhausto aut retento prorsùs humore, naturæ moventi nullatenùs sequaces fiant, quo tempore convulsio fit, tetanus dicta, si totum corpus tonicâ convulsione obrigescat; epistotonos, si trahatur in posteriora; si in anteriora, emprostotonos; quas species, tetani nomine Hipp. comprehendit. Idem fieri potest irritatâ naturâ à punctione nervi, vel partis consentientis, quam illa gestit aufferre motu reciprocante. Lib. d. judic.

At quia hanc venarum interceptionem præcipuè generat pituita vel è cerebro non satis expurgante decidua, vel è majoribus venis, maximè in febribus malignis, in eas adducta, facilè est conjicere quantum huic symptomati oppugnando conferre possunt inustiones non solùm capiti & partibus vicinis, sed etiam convulsis ad robur præscriptæ, quibus humor prædictus à suo fonte ut par est non solùm expurgatur, ne in venas musculorum sese inferat, sed roborantur partes

convulsæ & siccatæ, in quas ignis humorem nutriculum trahit, utque ait Hipp. quibus fit nutritio *superveniente alimento, ab igne, humido.* Cavendum tamen ut partis mandantis, si alia sit præter cerebrum, ut uteri in suffocatione, ratio habeatur, *& ad primam mali causam, causa occasionem & primordia deveniatur.* Idem observandum si convulsio febri malignæ complicetur. Illi enim opitulandum inustionibus ex arte præscriptis, ut ex posteriùs afferendis ulteriùs innotescet.

Celsus in hoc affectu (si à cerebro ducat originem) sinapismos & inustiones cervicis ad attrahendum partibus convulsis ignem præscribit his verbis:

Lib.4 cap.3 *Si verò etiam vehementiùs dolor crevit, admovenda cervicibus cucurbitulæ sunt, sic ut, cutis incidatur: Eadem aut ferramentis aut sinapi adurenda.*

Lib.4 In ea etiam convulsione quæ nascitur circa faciem, spasmum cinicum vocant, prodesse ait, *movere sternutamenta, caput radere, idque perfundere aqua calida, vol marina, vel certè salsa, sic ut ei quoque sulphur adjiciatur, post perfrictionem iterum perfricari, sinapi manducare.*

# SECTIO VI.

## *De incubo, catalepsi, apoplexia, caro, epilepsia.*

VLtima classis symptomatum capitis est eorum in quibus actiones principes & motus conjunctim læduntur, purâ incubus, catalepsis, apoplexia, carus, epilepsia, de quibus inpræsentiarum agere decet.

Est autem incubus quem dæmonis corpori incubantis affectum ludibriáque faunorum indigitant, præludium epilepsiæ & aliorum graviorum affectuum, oppressio corporis & suffocatio respirationem offendens & vocem intercipiens, cum in somnis alicujus pectori incumbentis.

Cùm autem à variis causis inferatur, vel à copia sanguinis circa cor & majores venas coacervati ut virginibus à menstruorum suppressione aut imminutione, vel à crapula partibus vicinis stagnante, und elatis ad cerebrum vaporibus crassis, mens per-

perturbatur, spectris afficitur, somnus difficilis fit; aut à pituita è cerebro in eam corporis regionem effusa; inustiones, si res exigat, quod rarum, pro ratione causæ variis locis applicantur, brachiis in priore casu, quo thorax illarum ope validior factus sanguinem corpori ritè distribuat, & superflua per vesicam & alvum educat; Premente crapula tibiis aut cruribus quo partibus internis superníſque inferiorum ministerio consulatur; pituitè à cerebro defluente, capiti aut partibus vicinis, quò humoris fonti & morbo indè enato remedium afferri possit.

Catalepsis à quibusdam coma vigilans, congelatio, altus stupor, typhomania, cathocus & *tetanus cum ulcere*
Aph. Hipp. idest, cum divulsione venarum, dicta, est affectio universi corporis quâ detenti subitò & derepente corpore & mente prehenduntur, in eodem statu permanent, immotis apertisque oculis, nulla sensûs nec motûs indicia produnt, sed in omnibus viventem larvam aut congelatum hominem referunt.

Generatur à causa convulsioni-

prorsùs contraria, putà divulsis à tenui humore nervis aut illorum principiis. Ut enim iisdem partibus ob venarum convulsionem, idest, interceptionem à crasso humore cavitates impediente factam contractis generatur convulsio, iisdem ob venarum divulsionem intentis rigidisque partem in cæteris musculis affectionem, convulsionis æmulam ingenerari & obrigescere necesse est. Inde Hipp. eâ laborantes *convulsionis in morem* 1. Pr. 13.
affici præ rigiditate asseruit, ut annotavit in historia *filiæ Cerdonis* cui comparentibus mensibus hæc affectio contingebat; diffuso ad principia nervorum menstruo sanguine antequam insita gravitate in uterum deferretur.

Nascitur hæc affectio à seipsa, sed rarò, sensimque partes musculosas æqualiter invadens rigiditatem infert; tandemque vitam cum respiratione tollit, ut ego observavi in venerabili Sacerdote & Præcentore Tricastrino provectæ ætatis, nomine *Bachier*, qui eâ periit; sed præcipuè succedit malignis febribus, crasso humore ob febris ardorem soluto, aut copioso sanguini qui per hæmor-

ragiam educi non potuit, in venas prædictas & ex iis in nervos confluente.

Quòd si quis inustiones ad curationem præscribere velit, si affectus à seipso incipiat, partis primùm affectæ putà cerebri habenda ratio, inustis ad caput vel partes vicinas causticis, quibus robore conciliato, quod superfluum è venulis exire poterit & nervos intendere naturalibus emunctoriis educatur. Sic enim sanitas contingere poterit, nisi humor ille è cerebro in coxendices aliasque partes ignobiles à natura medicatrice protru-
4. Epid. datur, ut accidit *cuidam ægrotanti* anonimo; quod si malignis febribus succedat, non alia esse debet quàm primariæ affectionis curatio seu innstionibus seu aliis remediis ut decet instituta.

Apoplexia duplex est, alia debilis quæ vocem adimit, alia fortis quæ cum voce sensum & motum. Prima dicitur Recentioribus aphonia in qua Autores omnes ferè obtumescunt, & duplex est, alia citra soporem, alia cum sopore gravis apoplexiæ ut plurimùm prævia.

Aphonia citra soporem generatur nervis recurrentibus abcissis, aut arteriarum illos adeuntium, interceptione invalidis.

Aphonia soporis comes apoplexiam debilem nominavimus, quam curare difficile, nihil aliud est quàm repentina vocis privatio cum sopore & aliquando cum erectionis impotentia ab interceptis arteriis posterius cerebrum & septimæ conjugationis nervos igne nativo perfundentibus à crasso flatu aut humore iis affixo aut à copioso exteriùs comprimente. Hinc prædicti nervi paralysim incurrunt orbati igne qui omnia movet, vox deficit, eò maximè quò ultima homini vitam ingredienti accidit, & *natura à calce ad carceres & decursionem reducem agens, eo redit, unde prorvit.* Arist. 2. de gener. anim. cap 4.

Incipit hæc affectio aliquandò à seipsa, aliquandò cæteris succedit, maximè febribus malignis essentialibus & comitatis, affectionibus uteri & aliis, expulso vel flatu crasso è venis laborantibus in arterias posterioris cerebri, vel arteriis prædictis ad aliarum venarum interceptio-

nem & partium contractionem merè consentientibus.

Apoplexia vocem & motum non modò auffert, sed sensum adimit, & tandem cum respiratione vitam, nî quid aliud obstet, ob defectum ignis omnia moventis in cerebro.

Deficit ignis, quia vel arteriæ intercipiuntur exteriùs aut interiùs, nec satis effundunt substantiæ illius; vel quia cordis inflammatio ad superas partes efferri vetat.

Cùm ergo hic affectus à crasso humore & à flatu arteriis cerebri affixo concitetur, inustiones capiti aut vicinis partibus admovendæ, ut natura concepto robore prædictum humorem fundere, liquare, fusumque eliminari possit è corpore. Inde Hipp. in curatione hujus affectus, syderationem vocat, *capiti fomentum, & ut transpiret, sectionem facere* præscribit, *sternutationem movere, ita tamen ut fomenta & sternutatoria odoratis* instituantur, quò, & sectionis pericranij & caloris fomentorum, maximè odoratorum beneficio ignis attrahatur in cerebrum, & humorem noxium ex illo subducat.

3. de morb

Studendum tamen ſi affectio maximè aphonia fiat cerebro partibus infernis conſentiente, ut inuſtiones præſcribantur ratione habita partis primùm affectæ, ne ea ob revulſionem inuſtionum miniſterio factam ulteriùs laborante, malum ineluctabile prorſus evadat. Si aphonia ſuccedat ileo ut *filio Hermophili*, quia ileus generatur ventre inferiore ob venarum interceptionem à craſſiore pituita factam refrigeſcente, ſuperiore verò, ideſt, cerebro, incaleſcente, & in hoc caſu aphonia fit vel conſentientibus arteriis cerebri ad interceptionem venarum quibus inteſtina nutriuntur, vel à craſſo flatu ob calorem ex inteſtinis in eas attracto, ſi cerebrum ulteriùs excalefacias per inuſtiones & ſcandente ſuperiùs igne, refrigeres inteſtina, malum fiet inſuperabile: è contra ſi ventri aut partibus vicinis admoueantur ut & fomenta calida, & manus eorum vicariæ ut in *olitoris uxore* ejecta pituita quæ præ craſſitie atræ bilis naturam induit, vel per vomitum, vel per alvum, affectio unà cum ſymptomate conquieſcet, ut comprobatum fuit in *filio Hermophili.*

7. Epid.

4. Epid.

7. Epid.

Idem ſtatuendum ſi apoplexia inflammati cordis filia ſit; ſi enim malum ſuperari poſſit, curatio inuſtionibus ad brachia, thoracem & partes amicas præſcriptis, unde pituita vel arteriis eorum locorum affixa, vel è venis effuſa exolvi & per emunctoria expelli poſſit, molienda. Quod ſi experientiis à me factis decernere concedatur, quantum proſint inuſtiones capitis in apoplexia quæ fit vitio illius, & partium paralyticarum in paralyſi, en hiſtorias quæ magni apud Medentes ponderis eſſe poterunt. Conjux D. Froment hujuſce urbis annum agens circiter 24. nonimeſtris fœtus gravida, dum ſacræ ſynaxis quæ ad ægrum deferebatur comes eſſet ſub horam duodecimam matutinam ſymptomatis apoplexiæ prænuntiis commota relictis ſociis mulieribus quæ ſtabant in media via, celeri ſed titubanti pede per plateam hujuſce urbis ambulare & quaſi ad me currere eſt viſa, ex oculis & geſtu illius conjiciens affectu quovis præternaturam vexari, ad illam protinùs me confero, ambabuſque ulnis mole ſua gravem amplector;

Hiſtoria

ſtatum illius ægrè r ſpondenti quæro. Cum pes ſiniſter unà cum femore paralyſeos malitiâ corpus fulcire deſiit: opre us ego iniquitate ponderis ad antes in auxilium voco, ægram cathedræ locatiſque cervicibus comminiſam & maxillæ ſiniſtræ paralyſi, convulſionis æmula in dextra parte, laborantem in domum referunt, ubi voce recuperata, hemiplegia lateris ſiniſtri, pedis nimir m & manus, motu ablato, ſenſu ſuperſtite in promptu fuit, ſopor gravis, venter non in pubem, ſed in umbilicum eminebat unde fœtum ſanum eſſe judicavi. In tanto caſu quid agerem anxius fui, nec ſine cauſa Non enim me latebat quanti eſſet momenti graviditas ad curationem ſoporis præ valido calore, quo prægnantes, maximè ultimis menſibus, à ſeipſis diſtant; timebam ne exeunte fœtu & refrigeſcente corpore, ut moris eſt, apoplexia denuò invaderet, longiorémque geſtationis terminum fieri poſſe, mirè cupiebam, dum remedia præcavendæ apoplexiæ parata erant. Clyſteres acres, ut moris eſt, injicere periculoſum eſſe videbatur,

& veſicatoria è cantharidibus, quæ veſicæ ſocióque proindè utero nocent, admovere; vena autem præ cæteris ſecta fuit in brachio dextro, vt remedio eſſet tum ſopori apoplectico tum parturitioni imminenti; appoſiti ſcapulis citra cantharidas phœnigmis, cauſtica brachio ſiniſtro & tibiæ, ſecto inuſtus collo, cætera naturæ commiſſa, quamvis refragantibus aliis Medicis, lochiorum effluxum ad curationem utiliſſimum fore longè, latéque pervulgantibus, dum ego nihil periculoſius accidere poſſe ægrotanti aiebam, quàm ſeptimum aut octavum à partu diem quo tempore ob effluxum puerperiorum mulieres

Lib. de humor. refrigerantur, *venter enim refrigeſcit, dum vacuatur*, ait Hipp. Nec fefellit eventus. Octava enim à partu maſculi obeſi die, ſopor denuò invaſit; ea immanitate ut admoto ad verticem capitis majore cauſtico, vix pillulas cum extremo ſuffocationis metu ſumere potuerit, è dragma maſſæ cochiarum minorum additis duodecim granis reſinæ jalapi & totidem diagridij. Interea ſopor accitâ ferè apoplexiâ ultimam horam minabatur;

remedium licèt validum movendis humoribus impar fore videbatur, fugiit ocyor euro alius Medicus, reiteratâ pluries mortis instantis præfatione, dum incalescente ad caustici præsentiam ardoremque conceptum cerebro, humores noxij tanta vi ex illo per alvum exière viginti quinque dejectionibus, ut ægra ab apoplexia prorsùs immunis fuerit, motum pedis tandem recuperaverit, invalido tamen nec attenuato, ut moris est paralysi laborantibus, existente brachio.

Eandem experientiam aliàs facere mihi licuit in uxore Pharmacopœi hujusce urbis nomine Castaignec, quam apoplexia ex arbore, seu fulmen de cœlo in terram egit capta fuit ægrotans cùm ad sese rediit, sensu & motu à capite ad partes inferiores corporis. Existimavit Chirurgus quidam ignarus hanc paralysim à vertebrarum colli luxatione proficisci: accersor ego in consilium & apoplexiam solam in jus adduco. Interim trimestri fœtu gravida erat, quod in tam infœlici casu, fælix, faustumque esse posse dixi, nî Historia.

intra remediorum usum fœtus ex utero excluderetur, inustus sero, vesicantia, caustica pedibus & brachiis admota, sanguis missus à prima fronte, valide purgantia iteratis dosibus administrata, quibus omnibus favente, ob ardorem à fœtu conceptum, graviditate, ægra sanata fuit & fœtum masculum parturiit, superstite levi paralysi quæ successu temporis omninò desiit, torpor quidam remansit; alios autem fœtus concepit & peperit.

Quòd si quæras cur mulieres gravidæ seipsis extra graviditatem calidiores sint, multæ sunt causæ. 1. Repletio à fœtu inducta, unde venter refrigescit, dum vacuatur. 2. Fœtus qui ignem suum per arterias umbilicales in venam umbilicalem & ex ea in matrem pellit, non autem trahit è matre per arterias prædictas, ut aliàs erratum fuit 3. Sanguis qui matri refrigerandæ & humectandæ inservit, & qui à fœtu attrahitur per venam umbilicalem: unde accidit ut puellas morbis à frigiditate oriundis affectas, cum viris jungi velit Hipp. *si enim conceperint, sanæ fiunt,*

Lib. de his

ob calorem vegetiorem tunc temporis à caussis prædictis qui morbis à causa frigidiore enatis remedio est; Hinc etiam febres malignæ cæteris consentientibus, in gravidis dum fœtus illæsi sint, non tam periculosæ sunt, quàm si easdem à fœtu excluso, lochiis ut decet, purgatas invadant, ut Hipp. notavit *in uxore Epicratis, & in muliere, trimestri fœtu gravida*, quæ à febre maligna vindicatæ sunt, ex eo quod vel fœtum non erant enixæ, vel solitis purgationibus refrigeratæ. Contrarium cùm accidisset *uxori Philini*, quæ decimo quarto die à partu debitè lochiis expurgata, cum febrem prædictam incurrisset, mortua est. Eadem fuit sors ægroti *à cœna facta incalescentis* febre maligna, cui, *cum omnia per vomitum essent refusa*, periit.

quæ ad virg. spectant. 2. Epid.

Epilepsia convulsionis universalis & aphoniæ simul junctarum soboles, & typica convulsio corporis cum sensuum & mentis oblæsione oritur ab interceptis à pituita crassa aut flatu simili venulis principij nervorum arteriisque cerebri, maximè quæ nervos septimi paris igne nativo perfundunt.

Effunditur hic humor aut flatus venulis arteriisque cerebri, vel è venis capitis primario affectu laborantis vel è partibus infernis ut ventriculo, utero in mulieribus.

Inde epilepsia alia est primaria, affecto primùm cerebro, alia sympathica è partibus infernis ducens originem.

Primariæ meliùs vix potest consuli, quàm inusto capiti vel ad suturam coronalem, vel ad occipitium; quo ignis in cerebro pituitæ fonte validior factus eum humorem demat è corpore.

Quòd si affectio ex inferis locis trahat originem, inustiones tibiis aut locis consentientibus præscribantur, quò devolvente se ad ulcus igne nativo quo natura medicatrix ad curationem uti consueuit, pars primùm affecta necessarium robur obtineat, primámque mali causam, causæ occasionem & primordia solitis emunctoriorum viis è corpore subducat; si caustici ope non aufferatur, ut est apud Zacutum.

Prax. adm. lib. 2. obs. 22. 32.

Celsus laudat pro remediis, *juxta talum ex utroque crure sanguinem mittere*

Lib. 3. cap 23.

*(s

(si affectio è partibus infernis procedat, si è superis) *occipitium inurere & cucurbitulas admovere, ferro candente in occipitio quoque & infra, qua summa vertebra cum capite committitur, adurere duobus locis, ut per ea perniciosus humor eradat*; sed attracto igne nativo qui dum levem portionem per cauteria, graviorem, observato naturalis circuitus ordine, per alvum & vesicam eliminet.

---

## SECTIO VII.

### *De Catarrho, & Dolore.*

PRæter affectiones superiùs scriptas, quia caput pituitæ fons est, sitúmque obtinuit in altiore fumosi corporis parte, undè seu major glandula superfluos humores ad sese rapit, crebris fluxionibus in varias sui partes & in inferiores decumbentibus stagnare consuevit, nì prædicti humores per vias ordinarias cum fæcibus & urina è corpore subducantur, de quibus ordinis gratiâ dicemus pau-

ca, cùm de iis superiùs contra Helmontium disseruerimus.

Inter eas quæ caput malè habent interiùs, Hipp. enumerat apoplexiam, melancholiam, maniam, convulsionem, quas omnes parit humor varius è venis in arterias cerebri, aut in substantiam, aut in venulas principij nervorum emissus.

Exteriùs autem invadunt fluxiones in oculos, aures, nares, quæ inferas partes insiliunt, vel descendunt in ventrem, ubi vel spumosis excrementis cerebralem alvi fluxum parturiunt; vel crassis, obstructione venarum quibus intestina nutriuntur, ileum; vel in thoracem, ubi asthma, tabem & aliquando inflammationes retento igne progenerant; vel per posterioris corporis carnes humorem deponunt & dolores, maximè coxarum, hydropem universi corporis & ventris.

Congeruntur humores qui fluxionum causæ sunt in ea corporis parte, id est, in capite, ob imbecillitatem, quæ nihil aliud est, quàm levis intemperies frigida & *ardor*, ut ait Hipp. qui novi & veteris humoris *confusionem* parit, ex eo quod à suo fonte non

6. E-pid.

ſatis repurgantur, obſervato naturalis circuitus ordine. Vbi autem congeſti ſunt, calorem & ab eo tenuitatem concipiunt, undè in partes inferas ruunt, & ſupraſcriptos affectus alioſque inducunt. Quod præ cæteris evenit, incaleſcente aut refrigeſcente exteriùs capite. Incaleſcente enim, humores liquantur & fluunt; refrigeſcente ſimiliter ut dictum, ob retenta caloris effluvia, quæ dum humoribus permiſcentur, tenuitatem agendæ fluxioni pernecesſariam inferunt. Hoc potiſſimùm obſervatur in gracilibus, quorum exterior habitus proportione reſpondet hyemi; undè fit ut pituitam magis coacervent in cerebro, è quo ſi ruat in partes inferas catarrhi fiunt; obeſi enim quorum habitus exterior proportione reſpondet æſtati, non tam facilè nî graviore premantur mole corporis, maximè capitis pituitâ referti, fluxiones incurrunt, & ſi in eas incidant, id præcipuè contingit, præ innata temperie calida cerebri æſtivi caloris æmula; undè fit ut in præcavendis curandiſque fluxionibus gracilium inuſtiones capiti è partibus conſentientibus collo nimirum præſcribi debeant; brachiis, ſi

Lib. de loc. in hom.

minor sit frigiditas cerebri quæ fluxionis caussam se præbeat, in præcavendis curandisque fluxionibus obesorum, nî caput crassius frigidiúsque à natura habeant, inferis partibus fieri debeant; quò devolvente se ad ventrem occasione ulceris in crure aut tibia inusti igne nativo quo cerebrum intemperatur, congestus humor spissari & conquiescere possit.

Quòd si catarrhi caussa lienis maleficio congeratur in capite, caustica lieni & partibus consentientibus ut cruri sinistro vel tibiæ applicanda sunt, quibus attracto inferiùs calore, serum quod corizæ materiam præbuit, lienis ope exteriùs propulsetur. Quod autem serum producendis fluxionibus coacervetur in cerebro præ lienis non secus ac ventriculi pituitam foventis imbecillitate, dictum superiùs ex Hipp. qui *lienem minus teretem*, idest, sero minùs impleri ait, *his qui gravedine ex cerebro laborant*, efferente
6. Epid. 2. se illo præ natura congenere in caput,
32. quod fluxionum est veluti scaturigo. Cætera videas in priore libro.

Sed quia hîc incidit occasio morbum, si non novum, dum nihil sub

fole novum est, saltem insolitum recensere, quamvis illum sanare non potuerim, aggredior paucis, vacuas aures præbete & semotum à curis animum: res idonea est quæ cognoscatur: Piissima Monialis superior Monasterij Visitationis Beatæ Mariæ Virginis hujusce urbis nomine, Anna Paulu, aliàs, de Mazely, Avenionensis, annum agens circiter 42. mediocris staturæ molisque mediæ, sed acutissimi ingenij, sensit se gravem fieri plus quàm pro more: existimavit expleto munere cujus finis instabat, pristinum statum recuperare se posse, cùm prehensa fuit reciproco motu convulsionis æmulo capitis in anteriora vibrati, ferè sub horam sextam matutinam, singulis diebus rubores in facie eminebant, cum anhelitu difficili; quæ symptomata finem habebant horâ sextâ pomeridianâ Hæc paucis secutus est sudor horâ sextâ matutinâ, qui sensim incipiens ab extremis digitis pedis & manus quæ erant in superiore parte corporis, progrediebatur ad mediam universi corporis partem, mox vertente se ad aliud latus ægrâ, sudor Historia.

ab extremis partibus manus & pedis incipiens, extendebat se ad reliquam superni corporis partem, usque ad horam sextam post meridiem, ita ut quinquies aut sexies indusia humore prorsus imbuta mutare cogeretur; Intereà si ægra somno indulgeret, sudor qui in aliis tunc temporis provocatur, cessabat prorsùs non sine damno. Urinas fundebat albicantes, calore & consistentiâ emulsionum quæ parantur è seminibus frigidis, & quæ subsidebant, quo tempore tantus non erat sudor; dum verò urinas tenues, aut minus crassas fundebat, sudore copiosiori diffluebat. Tempore æstivo minor erat sudor, vere & autumno, hyeme autem potissimùm, gravior; venter siccus officij sui non satis memor. Iusculum matutinis horis ante horam sextam sorbebat ægra, nihil aliud per totam diem, transacta hora sexta vespertina leviter cœnabat, noctu nihil sumebat, interim corpori moles integra semper fuit. Consilia pro curatione morbi varia sunt instituta, ægram duxi in solum natale puta Avenionem, ubi consilium inivi. Remedia administra-

ta; præter enemata fuerunt venæsectio sæpiùs iterata è brachiis, pedibus, manu, ob diuturnitatem affectûs, purgantia similiter primùm levia, mox qualia hydropicis solent præscribi, caput decocto cephalico pluries lotum, & ad futuras inustum, collum etiam longo post tempore ex utraque parte, diuretica administrata, noctu circa horam octavam semicupia. Putarunt Medici laborare quotidianâ intermittente. Sed frustrà: si qui enim in ea sudores fiunt, à somno præ cæteris erumpunt, quod in hac ægra non contigit. Infusum ex China China propinatum, nec morbus desiit. Febris tertiana duplex sudore tandem fuit conjuncta, & post octodecim paroxysmos infuso Chinæ Chinæ in vino albo finem habuit; reversa tandem, sine ullo remedio cessavit. Extenuata est ægra à febris æstu, sed illâ cessante, pristina corporis moles restituta est. Communicata per litteras variis Medentibus insoliti affectûs historia, altum ubique silentium fuit. Conquestus sum D. Soliniaco Vniversitatis Monspeliensis nostræ Decano, ex eo quod promissam

de morbi hiſtoria mentem ſuam non reſcripſerit, denuò narravi, & naturam morbi ſe prorsùs ignorare reſpondit. Mentem meam aperui; probavit ille, & ut publici juris facerem, detrectantem ex eo quod cuſare non potuiſſem, rogavit; en illam.

Non inviſebam hanc ægrotantem, cum, rubore faciei & difficili reſpiratione premebatur ab hora ſexta matutina ad veſpertinam, ſed accerſitus fui penè à ſudorum exordio. Incidi à prima fronte in ſententiam aliorum qui febre intermittente quotidianâ laborare exiſtimabant, ſed paucis mutavi, quia ſudores in hac febre fiunt intra ſomnum potiùs quàm intra vigilias, omnibuſque Medicis ſudores non modò comitaturum eſſe hunc affectum, ſed ad decem annos vel circiter perſeverare poſſe ipſiſſimis verbis expoſui; quod ſanè evenit, ſed per ſex annos ſolummodò, ſæpiſſimè cum reciproco capitis motu, maximè ſi illud frigidiori cœlo exponeret; undè à cerebro originem deducendam eſſe mihi perſuaſi. Cùm enim hæc pars, fons ſit pituitæ,

quam trahit cæteris humoribus superiorem, partibus congeneribus ad nutritionem effundit, superflua attrahit, ut per ventrem & vesicam excernat; si caput officij prædicti non satis memor hunc humorem in venis abundare permittat, morbos creat, maxime alvi fluxum cerebralem, qui spumosis dejectionibus per noctem potissimùm ex alvo ob caloris nativi motionem ad ventrem hisce horis se prodit. Hac vià natura voluit humorem prædictum subducere, sed quia difficilis ipsi fuit, humores ad externas corporis partes protrudit, ministerio ignis nativi, quo tempore ad illas movetur, quod est à media nocte ad meridiem præ cæteris; antequam autem libera foret naturæ hæc via, ingens eadem hora rubor in vultu fuit, cum spiratione difficili, ob conatus naturæ, quæ, præcipuè horâ sextâ, humorem excernere incipiebat è partibus extremis manuum & pedum, ad reliquum corporis habitum, quia calor incipit in corpus externum deferri ab extremis partibus illius, quas arteriæ pervadunt. & ubi anastomosi junguntur utplurimum

cum venis, quod perseverare solebat toto tempore quo calor ad eam regionem corporis ab hora sexta movebatur, nimirum intra vigilias; in somno dum calor ad internas partes devolvitur prorsùs cessabat.

Cæterùm hoc sudore exoluto, ægra eandem corporis molem victûs rationi ferè imparem habente, mollities tanta superfuit, ut difficulter è lecto, maximè præter æstatem moveretur. Cùm verò hyems supervenisset, qua tempestate, sudores largiores erant, à reliquiis sine dubio materiæ, quam neque purgante valido, neque sudore è guajaci decocto prorsùs auferre concessum fuit, supervenêre multis diebus convulsivi motus sudorum æmuli, qui ab imis partibus manus & pedis in superiore parte existentis incipiebant, illæso capite à prima fronte, & ægram reciproco hinc indeque agebant motu, pedes præsertim & manus, citra suspicionem affectus epileptici. Licèt enim collum aliquando moveri visum fuerit, mens nullatenùs laboravit. Respondebat jactabunda ægrotans solo oppressa dolore capitis, à calore

universi corporis, qui in eam partem magis quàm in ceteras ferebatur, æquè ac in sudore.

Quamvis dolor communis sit omnibus sensibus, quia *sine tactu non fiunt*, ut ait Arist. attamen proprium & insigne est tactûs symptoma, tristis nimirum sensatio ab objecto improportionato sensorium affatim & violenter corrumpente *Cùm* enim *cujusque natura corrumpitur & immutatur, dolores fiunt*, ait Hipp. 3. de anim. text. 2. tex 32. Lib. de loc. in hom.

Corrumpitur natura corporis ab intemperie & solutione continui quæ causæ doloris ideò esse censentur à Medicis.

Quamvis autem variæ sint doloris species: gravativus, punctorius, & mordax, pulsativus, tensivus, ostocopus: de quibus videantur Autores: qui caput infestat, duplex statuitur, hemicrania quæ partem capitis, & cephalea quæ totum afficit, & si recens sit, cephalalgia nuncupatur.

Inter illorum causas potissima est angustia venarum quam pariunt humores vel flatus crassi. His enim cavitatum parietes obsidentibus, sanguis arteriosus *per angustam viam ce-*

Hipp lib. de flat. *leriter transire nequit, quod eum multa remorentur quæ impediunt & obstruunt, eamque sæpè ob causam pulsationes contingunt*, venulis igne retento æstuosum quid arteriarum more producentibus, dum membranis cerebri eodem igne nimis incalescentibus & immutatis dolor invadit. Qui si pertingat ad radices oculorum membranas interiores afficit, si contrectatione pilorum ingravescat, externas.

Crassus humor vel flatus à quo dolor originem trahit, vel in ipso capite congeritur, vel è partibus infernis, ut ex utero, liene & cæteris ad superas elevatur. In priore casu dolori consulendum est, inustionibus ad caput, partes vicinas, collum aut brachia admotis; prout cerebrum valido vel debili igne eget; unde necessarium robur obtineat, quo deturbandis humoribus pituitosis venarum parietes obsidentibus sufficere possit; 2. de morb indéque ait Hipp. *Cum capitis dolores contingunt, caput multa calidæ lotione calefacere oportet & sternutamento excitato pituitam & mucos educere; at si diuturnus & vehemens capitis morbus evadat, neque capite purgato tollatur, in-*

*eo caput perfundere, & venas circumadurere*, ideſt, partes venis propinquiores inuſtionibus excalefacere *convenit*, ut attractus ignis validior eum humorem fuget è cerebro. Hac arte Zacutus capitis dolorem, inuſto bregmate ſanatum vidit. Lib. 1 prax. adm. obſ. 12.

Ne autem affectio pertinax ob relictam cum prava intemperie humorum colluviem revertatur, & caput impleatur novis humoribus, undè dolorem & inflammationem poſſit incurrere, poſt purgationem corporis & capitis à debita præparatione ut decet inſtitutam quo prædicta colluvies exturbetur è capite non ſolùm per vias ſolitas ſed per emunctoria ipſa cerebri, nares potiſſimùm & aures, octo cru as capiti & duas in occipitio inurere jubet Hipp. quibus pituitæ fons validior factus maiorem peccantis humoris portionem ſolitis urinæ fæcumque viis, à duabus occipitij veluti præmonſtratis per poſterioris corporis partes obſervato naturalis circuitus ordine, deturbet; duas in naſo circa angulos, duas circa aures, quibus ultima humoris maximè pituitæ biliſque è cerebro in ea loca ſeu emunctoria peculiaria ho-

rum humorum & cerebri deriventur, donec venæ partibus illis sub ratæ & præ angustia à prædictis humoribus facta calidioris sanguinis multitudine æstuosum quiddam producentes ab insolita pulsatione desinant. Quòd si quæras quo ferramento partes aurium venis propinquæ inuri debeant: cuneoli formam habere debere ait Hipp.
2. de morb. Sic autem effatur: *Morbi ex capite orti & quod si morbus revertatur, toti corpori fomento adhibito postridie veratrum potui exhibeto, deinde quantum videbitur intermissione facta tuncque ad caput repurgandum exhibito medicamento deorsum purgante caput octo crustulis inurito, duobus quidem ad aures, duabus verò ad posteriorem capitis partem, hinc atque hinc ad cervicis initium duabus in naribus juxta oculorum angulos. Venas autem juxta aures quoad pulsare cessent urito, ferramentis verò quæ cuneolos faciant, ea transversas peruri to; atque hæc ubi feceris, sanitas continget.* Idem remedium scripsit Hipp.
172. coac. in coac. His verbis: *ex capitis dolore liberat, ulcerum eruptio.*
Lib. 4 cap. 2 Celsus ad inveteratos dolores capitis inustiones præscribit his verbis:

*In omni vetusto capitis dolore communia sunt, sternutamenta excitare, & tempora pervellere, & imposito sinapi exulcerare ea quæ malè habent antea linteolo subjecto ne vehementer arrodat. Candentibus ferramentis ubi dolor est, ulcera excitare.*

In dolore capitis qui è partibus infernis concitatur, inustiones agendæ iisdem locis, cruribus, tibiis, pubi; ut ignis earum occasione ad primam mali causam, causæ occasionem & primordia moveatur, iisque cessantibus ut in *Muliere Pharea*, pessis odoratis utero admotis & menstruis apparentibus dolor quiescat. sic autem effatur Hipp. *Pharis Mulierem ingens capitis dolor diù tenuit, quem neque purgato capite quisquam allevare poterat; Melius autem habebat, cum menstrua prodibant. Hæc in intenso capitis dolore pessis odoratis ad uterum appositis allevabatur, & aliqua ex parte purgata est, cumque concepisset, caput doloribus levatum est.* 5. Epid.

## SECTIO VIII.

### *De morbis oculorum.*

OCuli variis morbis afficiuntur, & ratione, totius & ratione partium, quos minutatim perscrutari inutile fo et, quia inustionibus ad curationem non egent. alia saltem ratione qu m ea quæ afferetur in ophthalmia, cæcitate, fluxionibus, quæ decumbunt in canthos oculorum quos sæpius exulcerant, & lachrymas involuntarias stillare cogunt; de quibus agendum.

Est autem ophthalmia oculorum inflammatio ab igne in eorum substantiam aliquando citra tumorem effuso, aliquando cum tumore Prior, crudelis est affectio & doloris potiùs quàm inflammationis nomen sortitur apud Hipp. Generatur interceptis à crasso humore, pituitâ potissimùm, venulis conjunctivam tunicam intertexentibus. Inde enim arteriæ superevomunt illius substantiæ validum ig-

nem qui dolorem implacabilem generat & effusis humoribus tumorem concitat. Hipp. dolorem sublimem appellat, ut superiùs diximus his verbis : *dolores ventris*, ideſt, partium, *non ſublimes* ab igne ob venarum impedimenta & anguſtiam retento *fortiores* ; *ſublimes verò* ab infuſis in partes humoribus,undè tumor generatur, *leviores ſunt* ; quia ignis à quo dolor præcipuè fit, liberiorem ex arteriis in venas circulationem agit, nec parti tam dura figet ſpicula. Indè quia oculorum inflammatio craſſorum humorum venas intercipientium ſoboles eſt, autumno fieri & febrem quartanam ei ſuccedere effatur Hipp. ut *Mneſianacti* ; vini meri potum & fomentum & aquæ calentis, ad prædicti humoris fuſionem commendat his verbis : *dolores oculorum poſt meraci vini potum & aquæ calentis balneum venæ ſectione curato* ; imò & à febre curari docet his verbis : *lippitudine affecto, ſuborta febris ſolutionem affert*, ſoluto humore undè anguſtia venarum oriebatur, à calore febrili. Aph. 7. 7. Epid. 7. Aph. 46

Cùm ergo præcipuum ſit in curatione iſtius affectus, craſſum humo-

rem venis affixum educere, quò liberior igni via pateat, nihil utilius inustionibus ad caput, cervicem, sed præcipuè ad tempora è directo oculi laborantis parvo vesicatorio factis, quibus inflammationes gravissimas vnius diei spatio ad sanitatem perductas fuisse expertus sum in quavis tempestate anni tum frigida, tum calida. Attrahitur enim earum occasione ignis nativus ex internis infernisque corporis locis (quibus dum ita devolvitur, ut caput relinquat, quemadmodum nocte fit, dolores ingravescunt) ad externas supernásque partes, undè venarum interceptio solvitur, remeantibus ad venas majores crassis humoribus qui vel foras pelluntur cum excrementis tum humidis tum siccis, vel in sociorum compagem denuo irrepunt, & temperantur; Ex eo autem quod dolores oculorum noctu exasperentur, sæviente ob ignis emollientis interiúsque devoluti motionem ad viscera, humore crasso undè venarum impedimenta fiunt, Hipp. sic effatur: *Animadvertendum*
7. Epid. *num in oculorum vitiis ad noctem dolores contingant.*

Hoc remedij genus probavit Hipp. his verbis : *Quod si oculi subitò inflammationem concipiant, nihil omnino illinito* : Inde non sine ratione dictum, oculos laborantes, cubiti ægrorum contactu sanandos esse : *Sed vel fortissimo aliquo medicamento quam maximè infernas partes*, tempora nimirum *urito*; quo, ignis, præ ustione validioris ministerio, crassus humor affixus venis occulorum per ventrem & vesicam subducatur; *vel alio quopiam alvum subducente & attenuato, cautione adhibita ne vomitum provoces*, ut ope validi medicamenti quod vomitum non moveat, ne humor in oculos illius expressione ulteriùs ruat, post debitam attenuationem & humectationem aliis remediis maximè fomentis institutam, subduci possit; sic etiam effatur. *Ad oculos frigida caput aspergito, & allia cum maza apponito.* idest, oculis ophthalmiâ detentis præter collyrium quod ibidem præscribit Hipp. frigida caput aspergito si calor capitis nimius sit, aut retinendis effluviis calentibus, ut horum ope crassus humor venis affixus solvatur, non secus ac in tetano, & allia cum maza

Lib. de loc. in hom.

2. Epid. 5.

tempori è directo oculi laborantis apponito, quo attractus ad venas interceptas validior ignis, eas reseret, liberáque existente viâ dolor solvatur: Eundem frigidioris aquæ usum ad morbos oculorum Celsus attulit his
Lib. 1 cap. 5 verbis : *Neque verò his solis quos capitis imbecillitas torquet, usus aquæ frigidæ prodest; sed etiam iis quos assiduæ lippitudines, gravedines, destillationes, tonsillæque malè habent; His autem non caput tantùm quotidie perfundendum est, sed os quoque multâ frigidâ aqua fovendum est : præcipueque omnibus quibus utile hoc auxilium est, eo utendum est, ubi gravius cœlum austri reddiderunt.*

Lib. de videndi acut. Hippocrates etiam *ustiones capitis & venarum quæ sunt in temporibus*, ideſt, partium venis propinquarũ apprime laudat.

Quamvis cæcitas variis de causis adveniat, ea quæ nullo existente in oculis vitio fit, gutta serena nuncupatur, oriunda à crassis humoribus arterias rhetinam adeuntes intercipientibus. Neque enim tunc temporis arteriæ prædictæ aërem frigidum & cum eo speciem visibilem attrahere possunt in nervos opticos mutua societate cum iis conjunctos & per eos

in cerebrum, undè cæcitas infertur: 6.aph. 56.
Indéque ait Hipp. *Melancholicorum morborum periculosos decubitus, cæcitatem* & similes affectus *prænunciare*. Quòd si hæc affectio curabilis sit, nulla meliori quàm inustionum capitis, cervicis, temporum industriâ fieri potest. Trahitur ignis in eam partem corporis, è qua pituitam hujusce labis causam, observato naturalis circuitus ordine, fugat; hacque ratione Hipp. inustiones superiùs scriptas præscribit in hoc affectu. Lib. de vid. acut.

Fluxiones quæ decumbunt in oculos ex humoribus è cerebro seu fonte non satis expurgatis, undè lachrymæ fluunt involuntariæ, eadem inustionum industriâ sisti poterunt, à natura quæ præ igne inustionum comite validior facta, superfluos succos ad vesicam & alvum transmittit, ut cætera omittam.

Celsus inter remedia quibus morbi oculorum fugari possint, inustiones recenset, maximè fonticulum brigmatis: At quia utplurimùm citò siccatur ex eo quod pila à carne supercrescente nullo negotio amovetur, vult ut post pericranij incisionem,

os cranij ferramentis propriis in loco conveniente inuratur. Sic autem effatur: *Quidam atramento duas lineas du-*
Lib.7 cap.7. *xerunt, à media aure ad mediam alteram aurem, deinde à naribus ad verticem; Tum ubi lineæ committebantur, ſcalpello inciderunt, & poſt ſanguine effuſo, os ibidem aduſſerunt.*

Affert etiam plures inciſiones pericranij quibus calor trahatur ad cerebrum, & pituitam mali cauſam naturalibus viis educat, *quidam etiam* (ait) *in Græcia novem lineis cutem capitis inciderunt, duabus in occipitio rectis, una ſuper eas tranſverſa, tribus inter verticem & frontem rectis. Reperti ſunt qui à capite rectè eas lineas ad tempora diducerent, & frequens curatio eſt, venas in temporibus adurere tenuibus ferramentis, & retuſis & Afrorum curatio etiamnum efficacior eſt, qui verticem uſque ad os adurunt, ſic ut ſquammam remittat, ſed nihil melius eſt, quàm quòd in Gallia Comata fit, ubi, venas in temporibus & ſuperiore parte legunt.* Vide ſectionem de plevritide.

## SECTIO IX.

### *De morbis Aurium.*

INter affectus aurium recensentur præ cæteris inflammatio quam ob doloris ophthalmiæ similis immanitatem Hipp. dolorem indigitavit. Oritur ab iisdem caufis ; pituita è cerebro non satis expurgata unà cum bile, in venarum cavitates effusa. Interceptis etenim illis, ignis libera transfusione orbatus in partis substantiam insilit. & dolorem non sublimem & crudelem infert, donec humoribus in eam cum sanguine dolor sublimis & levior fiat, parte in tumorem distentâ.

Auditûs depravationes fiunt à flatibus qui vel à tenui calore & humore crasso intra venas stagnante concitantur in auribus, vel aliunde in eas adducuntur. Pro vario enim modo quo aures afficiunt, sibilum, strepitum vel tinnitum progenerant.

Quòd si prædictus humor crassus

aut bilis ex ipso hepate non satis expurgata, affigatur cavitatibus arteriarum, quibus aures igne nativo perfunduntur, his calidum aërem exteriùs emittere, frigidúmque & cum eo speciem audibilem in nervos conjunctos attrahere impotentibus, generatur surditas.

Cùm ergo inustiones capiti & juxta aures, pituitam adaucto igne possint excutere, jure meritò celebrari poterunt ad curationem affectuum suprascriptorum; Et si præcipua mali labes è partibus infernis ad superas evehatur, ut in tinnitu, sibilo, strepitu quem flatus aliquando pariunt è liene aut utero concitati, aut bilis quæ à suo fonte puta hepate non satis expurgata in aures ob naturæ similitudinem attrahatur, habenda ratio partis mandantis inustionibus illius, ut utero, liene, ventriculo primùm affectis tibiæ sinistræ; si hepar in jus vocetur, dextræ.

Est autem aliquando ita pertinax dolor qui non aurem solùm, sed tempora excruciat citra tumorem, ut gravioribus remediis difficulter cedat. Vidi nuper juvenem nautam, quem, cùm

cum aliàs Vrbis nostræ furnos conduceret, vulgus imposito nomine *Cantorem* appellitabat, tam gravi & tam diuturno dolore hac in parte cum ineluctabili pulsationis sensu misserrimè conflictatum à quinque aut sex mensibus, ut totas noctes transiret julabundus & insomnis. Oriebatur ille interceptis à crasso humore è cæterorum compage soluto hujusce loci venulis, quæ sistebant ignem membranæ auris, & extremâ suâ parte calidioris sanguinis multitudine refertæ æstuosum quid producebant. Tentarunt equidem plurimi maximè Circulatores causæ affectus inscij, omni remediorum genere illum fugare, sed frustrà. Cùm autem Chirurgus quidam venam secari in talo consuluisset, ut quondam *Halicarnasseo Zantippi*, attracto inferis partibus igne, crassus humor venis affixus ita recruduit, ut æger totâ nocte per urbem divagari, ac quasi insanire visus fuerit, vicinis insequentibus, ne Rhodano submergeretur; Rogatus verò ut opem ferrem, malum quod reiteratæ brachiorum venæ sectioni, cucurbitulis ad tempus ad-

Historia. 7. Epid.

motis, veſicatoriis, ſanguiſugis, iteratáque doſi vini emetici, ſemicupiis aquæ tepentis à me præſcriptis credere noluit, ſudoribus, demum in grandiore veluti cavea quatuor cancellis ligneis & papyro confectâ, poſt decocti ſudorifici potum aquæ vitæ fumo elicitis à me ità fugatus fuit, ut æger primam noctem quietam egerit, & iteratis ſudoribus per tres dies reſeratíſque venularum impedimentis dolor non ampliùs ægrotantem invaſerit.

Parotides auribus etiam ſunt infenſi, & ſi è cerebro pituitam non ſatis expurgante fiant, inuſtionibus partis curari debent; ſi à febre maligna ſeu eſſentiali ſeu comitata, partis mandantis habenda ratio, inuſtionibus, prout in earum enarratione dicetur poſteriùs.

## SECTIO X.

### *De morbis narium.*

NAres tranſmittendis unà cum aëre externo in cerebrum odo-

ribus & serosis humoribus ex eo exteriùs à natura præpositæ, intra graves capitis intemperies, humores sæpiùs accipiunt; quorum acrimoniâ ulcus ingeneratur, quod cùm recens est, vix doloris acutie se prodit, sed ichore sanguineo frequenter ex iis lachrymante aut crustulis nigris & siccis inter emungendum deciduis, donec contractâ virulentiâ sub crustulis ozœna cernatur, ulcus nempe sordidum tetro odore & ossium spongiosorum erosione horrendum, quod vel simplici ulceri vel maligno luis venereæ & aliorum humori succedit, suffumigiis è mercurio & aliis, & sæpiùs in cancros degenerat.

Quòd si inustiones in hoc affectu præscribi quis quærat: partis primùm affectæ habenda ratio: si cerebrum sit; quod imbecillitate sua humores congerat & conceptâ ob calorem copiæ sobolem acrimoniâ emittat in nares, caput inurendum, vel partes illi consentientes, quò accersito ob ignis nativi ad caput attracti victoriam robore, superflua, observato naturalis circuitus ordine,

exteriùs propulſentur.

Si à partibus inferis moveatur affectio, his ſuccurrendum induſtriâ, in primis ſectionibus agendo de inuſtionibus in communi à nobis enarratâ.

Lib. 6 cap. 8 Celſus ad ozœnæ curationem præſcribit, *ut caput tondeatur ad cutem, aſſiduéque vehementer perfricetur, multa calida aqua perfundatur*; quæ omnia inuſtionum vicaria ſunt.

Idem agendum in curatione Polypi, cui non ſolùm inuſtionibus propriis, ſed ſi ab atro humore è liene non ſatis expurgante nares intercipiat, inuſtionibus lienis & partium conſentientium purà cruris ſiniſtri ejuſdem tibiæ opitulandum; ſi è cerebro, capitis & partium vicinarum.

Nares variis ſymptomatis affliguntur. Aboletur olfactus interceptis arteriis proceſſus mammillares adeuntibus, aut præ humiditate nimia à priſtino vigore deflectentibus. Minuitur ab eadem cauſa, ſed leviori; depravatur à variis ſuccis proceſſuum mammillarium ſubſtantiam corrumpentibus, unde fit ut quidquid re-

cipitur per modum recipientis recipiatur. Cùm autem inustiones capitis & partium vicinarum prædictam humoris colluviem inducto arteriis ob ignem attractum robore possint excutere, non inutiliter præscribentur.

Idem agendum in coryza seu gravedine à pituita in serum versa per nares defluente. Roborato enim fonte quem prædicti humoris distributioni natura præposuit corpori, sanitas, si cætera consentiant, brevi continget.

At quia serum è liene debili non satis expurgatum aliquandò irrumpit in nares, & coryzam parit, visceris hujus habenda ratio, inductis juxta illum, crus aut tibiam sinistram ulceribus, quibus primæ mali causæ, occasioni & primordiis ut decet, consulatur.

Quòd autem serum à liene atri humoris, quem Hipp *aquam, tenuem, sanguinem qui timidos pavidosque facit & humiditatem* vocat, fonte, repat in cerebrum propter naturæ utriusque partis & humoris similitudinem respectu saltem frigiditatis, ut inter terram & aquam in orbe, docet his verbis, quæ repetere non erit inutile;

1. de vict. rat. 2. Epid. Lib. de Alim.

*Lien durus non superiùs, inferiùs teres, longus, latus crassus, tenuis, minùs his qui gravedine ex cerebro laborant*, id est, lien obstructione & duritie laborans ob venas crassis humoribus interceptas, *non superiùs*, ideſt, humorem atrum & ſerum cujus eſt fons non expurgat per vomitum, vaſis brevis, fundum ventriculi permeantis miniſterio concitatum, *inferiùs*, ideſt, qui verò lien humorem cujus eſt fons inferiùs ad ſeſe trahit, ut obſervato naturalis circuitus ordine, corpori ut par eſt diffundatur, debet eſſe à ſua natura figuræ teretis; quam ut numeris omnibus integram obtineat, ratione lineæ, *longus* eſſe debet; ratione ſuperficiei, *latus*; ratione corporis, craſſus, *tenuis* autem, ideſt, impleri ſeroſo & tenui ſanguine, *minùs* tamen *his qui gravedine ex cerebro laborant*, in quibus prædictus humor fertur in caput, & per nares exteriùs propulſatur.

Hæmorrhagia anaſtomoſeos, diapedeſeos & diæreſeos filia, quâ ſanguis præ cauſarum varietate variè effunditur, ſi curari debeat, inuſtionibus non modò venarum naſi inte-

rioris si fluxio nimia sit, & venæ possint aduri, sed partium inferiorum maximè tibiarum, quibus copia sanguinis, acer & tenuis humor viscerum eos regentium ministerio ad partes superas efferri & per nares subduci prohibeantur.

Sternutatio videatur in sectione quinta, agendo de symptomatis caput infestantibus.

# LIBER III.

## *De curatione morborum thoracis.*

QVamvis affectus thoracis ij sint præcipuè qui partes claviculis submissas obsident, attamen quia lingua, dentes, maxillæ, labia, columella, fauces; & aspera arteria thoracis functionibus non parum auxiliantur, cùm aërem & potûs portiunculam in pulmones transmittant, & è pulmonibus ad vocis formationem suscipiant; variéque versent & agitent, antequam proprios affectus thoracis describamus, pauca de affe-

ctibus partium suprà scriptarum afferenda sunt, hisque vitia quæ faciem impetunt, laconico sermone convertenda.

---

## SECTIO I.

### *De morbis faciei.*

INter vitia quibus facies infestatur, color præternaturam non levem obtinuit locum; alius autem est mobilis, alius immobilis. Ille, si rubor sit, guttam rosaceam vocant, enascitur ab igne & tenui sanguine ex inferis locis ad faciem elatis; inustisque ad partes infernas corporis crus & tibias potissimùm, cauteriis aufferri poterit; & è contra pallidus devolvente se nimiùm visceribus igne, ad collum.

Immobilis color ab humore cuti affixo ducit originem. *Qualem enim humorem caro attrahit, talem colorem cutis induit*, & cachexiæ utplurimùm sequax est; flavus, biliosæ, qui inusto ad jecur, aut tibiam dextram cau-

Lib. de nat. Puer.

terio; albus, pituitosæ ob cerebri pituitæ fontis vitium non satis expurgatæ, qui inusto capite & collo mutari poterit in meliùs. Cùm enim per hos affectus corpora pravis humoribus scateant, quia *plus ex carne à labore colliquatur, quàm ex circuitu repurgatur*, idest, quia plus ea mala corporis diathesi pravorum humorum procreatur & faciem deturpat, quàm natura observato circuitus eorum ordine per vias ad id muneris destinatas repurgare possit; si fontes quorum imbecillitate colluvies illa manifestatur, inustionum beneficentiâ imprimis roborentur, dubium esse non debet, quin affectio cessatura sit; quod multiplici experientiâ compertum est. 2. de vict. rat.

Zacutus juvenem Luzitanum pustulis ulcerosis faciei deturpatum post varia remedia, inusto tibiæ dextræ fonticulo se curasse gloriatur, sed dum addit, id contigisse manante impurâ sorde è fonticulo & caliditatem jecoris in jus appellat, à verò distat. Inducto enim robore biliosi humoris fonti, nimirum jecori, & superflui hujus mi- Lib. 1. obs. 17.

nisterio è corpore deturbatis sanatio evenit.

Hisce coloribus adscribentur lentigo, sugillata: quæ quia ab iisdem humoribus partem faciei deturpantibus originem trahunt, cauteriis juxta fontem cujus vitio nascuntur admotis; tibiis, pubi, aut cruribus, si ab utero & suppressis mensibus fiant, aufferri poterunt, ut venæ sectione malleoli. Curavi aliàs hac industriâ

Historia clarissimam & pulcherrimam Dominam nomine Deymini Tarasconensem cùm apud nos diversaretur, à lentigine coloris flavi ad sanguineum vergentis, figuræ & magnitudinis lupinorum, quæ partem dextram posterioris anteriorisque pectoris non sine tristitiæ sensu fœdaverat, eò maximè quòd Medici omnes quos ægra in expungendæ labis auxilium imploraverat, indelebilem, soláque cutis erosione, unde horridior cicatrix erupisset, aufferri posse judicaverant. Oriebatur affectio menstruis mimminutis, quibus anteà abundabat; quod cùm mihi cognitum esset, his fluere incipientibus, magnam sanguinis copiam è malleolo dextro emitti

jubeo : lypothimia secuta est ; nocturnis horis linimentum è pomatæ recentis & albissimæ uncia una, præcipitati albi drachma una & sachari saturni drachma servis ; diurnis verò, è pomatæ prædictæ uncia una, sachari saturni drachma una confectum lentiginibus admovendum præscribo ; undè affectio paucis evanuit, non sine incredibili lætitia ægrotantis, cui, cùm elegantiorem speciei suæ partem gestaret in ea sede corporis, spectantium oculis ut priùs, obijcere concessum fuit.

Labia suis affectibus sunt obnoxia; tamen vel mero carnis incremento, vel humorum afluxu, & sæpiùs exulcerantur. Carnium incremento inustiones colli & partium vicinarum, quæ calore validiùs ad partem attracto humorem nutriculum sisti prohibent, utiles esse poterunt ; humorum affluxui conferent, si parti, aut consentientibus unde ille oritur, instituantur.

Vltra hos affectus labia tremunt, pervertuntur, refrigerato sanguine venarum quibus nutriuntur à pituita aut à flatu crasso ; cui malo inustiones capitis & partium vicinarum ro-

bore inducto hujusce humoris fonti mirè proderunt. Quòd si labra varios colores præternaturam pravorum humorum soboles gerant, eosque immobiles, appositis, ut superiùs dictum, pro facie, inustionibus, juxta partes mandantes curari debent. Idem decernendum pro aphtis quibus exhulcerantur; quæ si excrementa corpus impuris succis scatere patefaciant, causticis ad partem primum affectam inustis non parum juvabuntur; si nimis hient ob humorem qui decumbat è cerebro, capitis inustionibus consulendum.

Lingua, inter alios affectus variis coloribus deturpatur; utque si à morbo fiant, hujus curatione naturalis color erumpit, si ab humore citra morbum, ut v. g. febrem malignam solo fontis humores non satis expurgantis vitio, propriis fontium & partium vicinarum inustionibus. Si tubercula fiant sub lingua: inustiones ad caput & collum instituantur; si gustus pereat, aut minuatur, refrigescentibus arteriis nervos tertiæ & quartæ conjugationis igne nativo perfundentibus à pituita crassa

eatum cavitatibus affixâ, non alio remedio faciliùs restitui poterit, quàm inustionibus occipitij; quibus excalefactis arteriis & nervis ab igne attracto, pituita solitis viis exturbatur.

Idem agendum si linguæ motus aboleatur, minuatur aut depravetur, ut balbis traulisque ab eadem pituita cavitatibus venarum affixâ: Hac enim observato naturalis circuitus ordine, à suo fonte repurgata, æger in meliorem statum adduci poterit.

Inter affectus dentium quibus inustiones præscribere inserviet, sunt erosio & dolor: quorum illa, si devulsis à tenui & acri pituita è cerebro non satis expurgatâ venulis maxillarum originem ducat, inusto capite cessare poterit; hic, ideft dolor, quia ab eadem causa procedit, sed dum immanis & non sublimis est dolor, intra venarum cavitates indurescente, donec in tumorem & dolorem sublimem facessat, expurgatâ similiter, post debitam calefactionem ab igne validiùs attracto ob inustiones colli, capitis levesque vicini tempori, à sinapismo, & posterioris partis auricularum, pituitâ, naturalibus viis

cessare & præcaveri poterit. Hac industriâ, apposito ad tempus è regione doloris emplastro fermenti veteris cum aceto & sinapi, momento temporis incantamenti instar dolorem implacabilem sæpiùs abstuli. Non sine difficultate dolor dentium curationem suscipit, ex eo quod venæ dentium, maxillarum ossibus firmiter adhærescunt, nec humores exteriùs ferri tam facilè sinunt, undè immanitas doloris: intumescente autem maxillâ, aliquando calidas oris collutiones in usum revocare necesse est, cùm hypnotica frigidáque non proficiunt. In-
7. Epid. déque Hipp. *uxorem Aspasij* cui à dentis dolore maxillæ intumuerant, collutione oris ex pipere & castoreo levamentum sensisse ait, cùm hypno-
7. Epid. tica interiori denti imposita in *Hegesippo* non contulissent.

Maxillæ aliis affectibus quibus inustiones prodesse possint ultra communes vix patent quàm graviori incremento quo dentes tegunt sine & cum corrosione, ut plurimùm cum tetro odore: quæ vitia si pituitæ è cerebro decumbentis soboles sint, inusto capite levari poterunt, si è liene pro-

cedant, ut plerumque fit, maximè in incolis littorum, quibus splenes magni sunt, nec acre serum debito circuitus ordine satis expurgant, lien aut partibus infernis illi consentientibus, si laxentur nimiùm imbutæ humore tenui quem cerebrum non satis auffert, inusto similiter capite, collo & partibus vicinis consulendum.

Idem agendum si uvula nimio humore imbuta longior fiat, & ulcus contrahat, undè deglutitionem & vocem impediat, ut & si tonsillæ aut palatum easdem miserias persentiant. Inde non modò in puellis, sed in adultis & consistentis ætatis ægrotantibus expertus sum uvulam laxiorem tumentesque glandulas oris fœliciori remedio ad pristinum statum vix perductas fuisse quàm sinapi pulverato capiti imposito, cujus occasione, attracto igne in eam corporis partem, humor qui in uvulam & tonsillas effluxerat, allectus, & per communes vias intestinorum & vesicæ à natura subductus fuit.

## SECTIO II.

### *De angina, bronchocele, strumis.*

ANgina nihil aliud est quàm angustia summarum partium gulæ & gutturis deglutitioni & respirationi noxam inferens. Oritur vel convulsis & interceptis venulis earum à crasso humore undè dolor non sublimis fit, & Cinanche dicitur, vel divulsis venulis, undè dolor sublimis leviorque enascitur, & paracinanche nominatur.

Quæ generatur convulsis venis ita crudelis est aliquando ut citra cœli fauciúmque tumorem occlusis respirationis viis animum auferat minimo temporis spatio, ut ego observavi, *concrescente sanguine* in cavitatibus
Lib. de vict. rat. in morb. acut. illarum venarum, *à multa & lenta fluxione pituita quæ sub hyemen vernumque tempus è capite ad jugulares venas defluit, frigida enim existens & viscida obstruit & spiritus sanguinisque vias occludens, proximum quemque san-*

*guinem condensat, eamque immobilem & stabilem reddit, cum natura sua frigidus sit & obstruere natus, ob id suffocantur*, musculis quos gutturi & ori natura præposuit, ob interceptas venulas convulsis & humore nutriculo ad laxitatem deficientibus, undè aër in pulmones & cor adire, & alimenta in ventrem descendere prohibentur.

Paracinanche ab effusis extra venularum cavitates pravis humoribus oriunda, triplex est; alia quæ ad fauces solas, alia quæ ad collum, ultima quæ ad pectus tumorem protendit.

Cùm autem hæc affectio citam curationem desideret, maximè expurgationem humoris pituitosi qui è cerebro & è venis subiit in cavitates venularum, & aliquando cum sanguine ex iis effunditur in partium substantiam, alio remedio tutiùs fieri non potest, quàm cauteriis non tantùm ad caput, sed ad collum, & sub collo juxta laryngem inustis, cucurbitulis capiti, juxta aures, sectionibus venarum brachij, calidis collutionibus oris; indéque Hipp.

Lib. de rat. vict. in morb acut. præter remedia suprà scripta *capite abraso, ceratum collo & capiti* jubet apponi, ut attracto ad pituitæ fontem & partem ex ea laborantem igne quo natura dolorum incitabula propellit, morbus causæ suæ fusione & ejectione per os & alvum, celerrimè conquiescat.

2. de morb *Cataplasmata ex farina calida, imo & oleo cocta imponere & panes calidos admovere* præscribit. Sic etiam effatur:

2. Epid. *Gula affecta caput calida perfundendum dum ne frigus adsit, sin minus farinam quàm calidissimam & merum apponito*, aut potiùs exhibeto: idest, gutture ob anginam constricto à pituita venis affixa sistentéque anadosim humoris, undè faucium omnimoda siccitas & impotentia exoritur ultimo deglutitionis & respirationis detrimento, caput calentibus fomentis ex ipso sapone, sinapi (ut ait) perfundendum, applicanda collo farina quàm calidissima quæ ulcera possit inferre, vinum meracum propinandum, quo non secus ac in dolore oculorum pituita fundatur, liquescat solitisque viis è corpore subducatur. Hinc experientia probavit hominem anginæ obnoxium ob ve-

nas gutturis à crassis humoribus obsessas concitato ulcere sub lingua ad quod natura accurrit cum igne & tenui sanguine nusquam in eam incidisse. Neque laryngotomia quam summo anginâ laborantium adjumento fuisse multi prædicant, alia quàm inflicti vulneris ulcerisque seu fonticuli inusti ratione prodesse potest, ex eo quod gutture hac sola via aperto natura satisfacere non potest intentionibus quarum causâ pulmonis respirationem instituit movendo & trahendo aërem non pulmoni solo, qui ultimus eum inspiratione suscipit, sed priùs cerebro, ut hujus arteriis sufficere possit, tum ventriculo, è quo per venas inferiori respiratione in cor fertur arteriarum ministerio. Quæ Hipp. his verbis expressit: *Cum quis spiritum ad se trahit* spirante pulmone, *primùm quidem fertur in cerebrum*, cui frigiditatem, ad rectam interiorum sensuum functionem inducit, arteriisque calidum emittentibus pro ignis nutritione subministrat; *deinde magna ex parte in ventriculum fertur*, pro respirationis infernæ materia; *pars altera*, idest, ultima *ad pulmonem* pro- Lib. de morb sacr.

eorum refrigerio. Vt hinc facilè conſtet, quàm graviter errent plerique Medici in dignoſcendis effectibus remediorum, quæ dùm proſperè ſucceſſiſſe ob fictam rationem exiſtimant, ignari veræ, innumeros ægros tollunt è medio, quos ſine Chirurgia adeo crudeli, undè gravior non modò noxa è ſanguinis gutta in pulmones ſtillante, ſed etiam mors ſequi poteſt, ſola inuſtionis ratione curatos fuiſſe ſatiùs foret. Uide caput de plevritide.

Celſus cucurbitulam *ſub mento & circa fauces* admovere præſcribit, *ut id quod ſtrangulat, evocet. Quod ſi per hæc parum proficitur, ultimum eſſe*, ait: *incidere ſatis altis plagis ſub ipſis maxillis, ſupra collum & in palato, circa uvam, vel eas venas quæ ſub lingua ſunt, ut per ea vulnera morbus erumpat*, levatâ naturâ quâ veluti premebatur ſarcinâ, & attracto igne graviori adjuta quod ſupereſt infixum venulis per vias ſolitas faciliùs exturbante, *quibus ſi non fuerit adjutus æger, ſcire licet malo victum eſſe.*

Lib.4 cap.4

Inuſtiones eadem ratione prodeſſe poterunt tumente collo ab humeri-

bus pituitosis in illud è cerebro incalescente deciduis. Indè Hipp. *Callimedontis filio laboranti cataplasma è lino torrefacto*, post remedia generalia præscripsit ; quòd si tumores alterius humoris magis participes sint, causarum suarum sedula purgatione curabuntur. 5. Epid.

Idem censendum de Bronchocele si curari possit. Inusto enim ad caput collúmque cauterio, & igne attracto superis partibus levari poterit, ut & hydrops gutturis ab aqua aut flatu crasso illius sobole ducens originem.

Strumæ eodem remedio levari poterunt, cavendo tamen ne glandulæ multum calescant, unde inflammationem & ab eo maligniorem naturam possent contrahere.

## SECTIO III.

### *De morbis Pulmonum & trachea arteriæ.*

INter morbos thoracis, quibus inustiones consuli possunt, priores erunt tracheæ arteriæ quâ pulmo exteris superisque partibus communicat, & aërem ad ignis in corde habitantis medelam suscipit.

Frequentiùs autem divexatur ab humore qui decumbit è cerebro & subit in bronchia. Hic enim si calidus & acer sit, bronchia & pulmonis substantiam aliquando divellit, aphtasque parit; si tenuis infarctasque veteri humore bronchiorum venas reperiat; asthma inducit. *Vbi enim pituita ad pulmonem & cor devenerit, refrigescit sanguis, venæque per vim refrigeratæ in pulmonem & cor resiliunt, corque palpitat; inde necessario anhelatio & respiratio quæ erecta cervice trahitur, incidit; Neque enim spiritum suscipere potest, donec quod influxit à*

Lib. de morb sacr.

*pituita superatum & calafactum per venas diffusum fuerit, deinde palpitatio & anhelatio cessat.*

Cùm ergò hic affectus sedula humoris pituitosi è cerebro non satis expurgato defluentis, & venulis bronchiorum seu nativo seu ascititio jure affixi subductione curari debeat, tutiore remedio vix fieri poterit, quàm inustionibus capitis, quas si natura in fœtu edito nec à pituita ut decet expurgato, concitare videatur, in superiore parte capitis (ulcera manantia & scabiem nominant,) à prædicta affectione immunem fieri docuit Hipp. Quòd si prætereà dorso gestentur ulcuscula quibus calor ad eam corporis sedem ex intimis attrahi possit, & humor infarctus parietibus venarum elici, asthma levatur citra dubium, si curationem ultimam suscipere nequeat. Quod ità contingere debere, ex eo satis superque constare videtur, cùm hæc affectio, devolvente se per noctem ad internas infernasque partes corporis igne nativo soleat ingravescere; efferente se per diem ad pulmonem & ad caput, imminuatur. Idem accidit inustis

Hipp Lib. de morb sacr.

Zacutus Luzit prax. adm. obser 122. Lib. 2 histo. obs. 1

glandulis axillarum ob eandem rationem cujus rei experientiam videas apud Authores.

Zacutus postquam improbavit hoc remedij genus, quod famigeratissimus Aëtius consulit, quia crudelissimum est, si candente ferro inducatur, & violenter ex toto convocat humorem ad pectus & malum conduplicat, (ut putat) quod tamen falsum est, (modò præmissis generalibus modestè inferatur caustico potentiali magis quàm actuali) experimento fidissimo se adinvenisse ait, plures asthmaticos per circuitus gravissimis accessionibus oppressos, magna remediorum sylva reiterata sæpiùs vix opem sensisse ullam, tandem cum è capite fluxio irrueret in pectus, excitatis in circuitu capitis ustionibus multis, aliquandiu levatos fuisse per ulcera, paulatim emanante sanie. At cùm ex habituali cerebri intemperie de novo humor noxius regenitus in thoracem deflueret, excitato fonticulo in nucha, imposterum fuisse præservatos. Nam quidam ex longioribus intervallis accessione premebantur; alij eam experiebantur levibus

levibus symptomatis comitatam, plurimos, præsertim iuniores sanatos esse, quibus si fortè longo temporis decursu foramen fontanellæ esset occlusum, eo aperto cauterij actualis aut potentialis ope ad pristinam sanitatem reversos esse, quæ sanè verissima sunt; sed dum addit, id pure emanante contigisse, à ratione alienum est; cùm, ut dictum, pus emanans è fonticulis non tam sit naturæ causam morbificam per ea loca, quàm per naturalia, & per fonticulos humidiores rectè distribuentis indicium.

Ad sanguinis eruptionem quæ fit è pulmone per os ob titillationem œsophagi eum quasi vomituriente, inustiones fieri poterunt iisdem partibus infernis quas exposuimus agentes de hæmorrhagia narium, ut attracto ad partes inferas ob ulcus earum igne & sanguine, quibus ad pulmonem ruentibus sanguis ex ore profundebatur, affectio possit imminui.

Peripuemonia est inflammatio pulmonis, eáque duplex, alia quæ fit, vel bile in erysipelas effusâ, vel igne

è vena arterioſa in pulmonis ſubſtantiam irruente ob anguſtiam arteriæ venoſæ quam pituita unà cum bile cavitatibus infarcta parit; Alia quæ effuſo in pulmonem humore tenui fit, & lethargus nominatur. Indéque ait
3. de morb Hipp. *Lethargi quidem conſtitutio eadem quæ inflammationi pulmonis peripneumoniæ dictæ, gravior tamen, neque liberantur ab humida peripneumonia, ſed longe tardior eſt morbus, qui ſi curetur, æger purulentus evadit.*

Jlla inuſtionibus vix curatur, nî leviores infigantur thoraci, quibus attracto ad ſuperas partes igne nativo, tantæ affectionis labes ſolitis viis purgari poſſit; quod ita evenire ex eo ſatis ſupérque conſtat, cùm hac affectione laborantes à meridie ad mediam noctem difficiliùs ſpirent, devolvente ſe poſt meridiem ad ventrem igne; efferentéque ſe matutinis horis ad pulmonem, faciliùs; ſputa liberiùs, liberaliúſque reijciant, ut
5. E pid. expertum in conjuge Policratis. Hæc ſi curationem ſuſcipere poſſit, vix tutiore quàm inuſtionum capitis & thoracis induſtriâ quiſquis aſſequetur: *nitendum* enim (ait Hipp.) *ut*

*æger plurimùm ſpuat & caleſiat, quod ſi evaſerit, purulentus efficitur.* Ibidem.

Celſus idem remedium affert his verbis: In peripneumonia *prodeſt impoſitus ſuper pectus ſal benè contritus cùm cerato miſtus: quia leviter cutem erodit, eóque impetunt materiæ quas pulmo vexatus, evocat.* Lib. 4 cap. 7

Hydrops Pulmonis à ſero quod hujus ſubſtantiam imbuit & ſæpiùs pericardium & unà thoracem diſtendit, ſi curationem ſuſcipere poſſit, inuſtionum miniſterio ità tentanda eſt, ut ſi, quemadmodum dicetur in capite hydropis, hæc affectio, cerebri pituitam tenuem non ſatis expurgantis vitium ſequatur; inſtituantur capiti, collo, imò & lateri intumeſcenti, quo ubi primæ mali cauſæ, illius occaſioni & primordiis nempè capiti conſultum & robur inductum erit, ut ſerum è corpore poſſit auferre; thoraci ſimiliter materiæ peccantis ſubductioni & robori conſulatur. Si hydrops pulmonis aliis affectibus ſuccedat (quod rarum) inuſtiones affectionis primariæ habitâ ratione inſtituentur.

Plevritis duplex eſt apud Hipp. Alia

quæ membrana externa partis cujuſdam pulmonum inflammationem geſtante fit ; alia quæ membrana ipſius lateris. Prior deſcribitur in *libro de locis in homine* , nec propter pulmonis inſenſibilitatem ita acuto dolore premit quàm alia , diſtátque à peripneumonia ſolâ partis affectæ & humoris ratione. In peripneumonia enim tota pulmonis ſubſtantia afficitur ab humore copioſo ; in plevritide pars ſola quæ ambit membranam lateris. Indéque eſt , quod ſi plevritis hæc vertatur in peripneumoniam, nî cauſæ ulterior moles in ægrum ſæviat ; minùs periculoſa ſit , quàm ſi à ſeipſa incipiat. Quod Hipp. effatur his verbis:

397. Coac. *Pulmonis inflammationes quæ ex morbo laterali permutationem accipiunt , iis quæ ab initio fiunt , ſecutiores ſunt.* Utraque naſcitur à pituita præ cæteris quæ poſt validam fuſionem à calore factam accedente frigiditate concreſcit, vel in ramulis arteriæ venoſæ , vel in venulis laterum , retentóque igne dolorem non ſublimem & graviorem infert & tandem cùm bile & pauco ſanguine in tuberculum , dolorem ſublimem & leviorem.

Huic affectui sanando inustiones non sunt inutiles modò superis partibus inducantur, & levia juxta sedem affectam ulcuscula, quibus attracto è cæteris ad caput pituitæ fontem & ad partem dolentem igne, quo natura medicatrix dolores mulcet & lenit, pituita, ut decet, fontis sui ministerio è corpore subducatur, thorax nutriatur, humore novo, qui veterem, à sociorum compage solutum venulisque laterum & pulmonis adhærescentem coquat & temperet; dum enim veteris humoris pars sectione venæ ad mutationem coloris in sanguine apparentis foras mittetur, novus *illarum distentione* ad sputationem necessaria morbo finem imponet, & veteris qui partem convellit, medicamentum erit, quo in os derivatus per anacatharsim expurgabitur. Inde Hipp. lateris dolentis curationem semper auspicari solet à fomentis calidis, quibus venarum interceptio solvi possit. *Graviores enim sunt plevritides sine divulsionibus, quàm cum divulsionibus.* Cavendum tamen ne ulcerum lateri inductorum sævitie ea fiat venularum divulsio quæ

2. de morb.

Lib. de vict. rat. in morb acut. 382. Coac

sanguinem ad partem nimis effundat, unde morbus recrudescet: Pleuritis
3. de morb. enim succedet, quam Hipp. *cruentam & crudelem* vocat, non secus ac dum phrenitidem ab interceptis convulsisque venis cerebri lethargus sequitur, nimiæ divulsionis earumdem venarum filius, è qua vix liberantur ægri, quia plus sanguinis in partem effunditur quàm per sputa purgari possit, maximè cùm venæ sectionis *impedi-*
6. Epid. *mentum sit in cruenta spuentibus lateris dolor.*

Quòd etiam ad doloris eximij lateris, pleuritidis nimirum acutæ quam venularum interceptio parit, ut & phrenitidis, anginæ, ilei, hepatitidis, & aliarum curationem, inustiones agendæ sint supra partem affectam,
6. Epid. sect. 6. text. 7. docuit Hipp. expressis verbis: *In doloribus leniendis proximum ventrem purgare, sanguinis verò partem secare oportet. Allevamentum quoque afferunt ustio, sectio, calefactio, perfrigeratio, plantarum succi, prout ipsorum facultas convenit & varia cyceonis mistura.*
Lib. de nat. hom. Idest, in sublevandis doloribus eximiis cùm febre, inflammationes partium vocant, quos venarum inter-

ceptiones partibus ignem sistendo parturiunt & aliis *proximum ventrem purgare*, idest, crassum humorem venis affixum, undè, dolor & inflammatio prodit, si concoctus sit aut turgeat, medicamento valido purgare confert, *sanguinis ventrem secare*, idest, venæ sectionis è directo partis affectæ & ad mutationem coloris in sanguine apparentis factæ ministerio, *anemiem*, idest, inconspirationem venarum tollere, cessante enim angustia, ignis libero cursu in eas agitur, nec morâ suâ dolorem & inflammationem ulteriùs infert. Allevant quoque dolores prædictos *ustio*, idest, vesicantia, cauteria, juxta partes dolentes admota, quæ valida ignis attractione crassum humorem venis affixum, impedimentáque solvunt, undè dolor cessare solet. *Sectio*, idest, scarificatio eadem ratione. *Cale factio*, fomentis, emplastris & linteis calentibus ad eundem scopum instituta; maximè si dolor refrigerationis externæ soboles sit. *Refrigeratio*, contraria ratione puta repellendo calorem externum ad venas crassis humoribus interceptas, ut in tetano æstate mediâ Aph.

in juvene benè carnoso, vel simpliciter
5. Aph. 21 refrigerando si dolor à calore procedat. Quòd si in aliis doloribus præter inflammationes tantisper spatiari mihi liceat, curavi aliàs Monialem
Historia. nomine Sororis Angelorum à dolore capitis intolerabili, qui neque enematis, venæsectione tali, cucurbitulis scapularum, odore fœtido naribus admoto cedere voluit, largâ frigidioris aquæ è puteo recenter haustæ applicatione cum linteis imbutis juxta sinciput æstate mediâ, &
Historia. Religiosum Ordinis sancti Benedicti nomine de Combes, à colica graviore post injectionem enematis, frigidissimis saxis ad ventrem admotis, quibus abdomen vix parem glaciei frigiditatem exteriùs concepit, ut manibus attrectanti mihi experiri concessum fuit; cùm adaucto internis partibus calore dolor veluti miraculosè cessavit. Eadem industriâ immanem dolorem dentium appositâ infra aures & tempori vicino glacie; doloremque capitis & sociam coryzam maleficio caloris enatam æstate, exposito capite aëri nocturno frigido per quoddam temporis intersti-

tium, sæpiùs abstuli. Eadem arte 5. E-
Hipp. repulso ad cor igne nativo mu- pid.
lierem quæ conceptûs gratiâ medicamentum assumpserat, & quinquies mortuam fuisse ait, ut expirasse videretur reduxit vitæ, injectis corpori frigidæ aquæ amphoris triginta. Celsus idem remedium laudat ad partium imbecillitatem, capitis primùm, his verbis: * [ Capiti nihil æque * Lib
prodest, atque aqua frigida: itaque .cap
is cui hoc infirmum est, per æstatem 4.
id benè largo canali, quotidie debet aliquandiu subijcere. Semper autem etiamsi sine balneo auctus est, neque totum corpus refrigerare sustinet, caput tamen aquâ frigidâ perfundere. Sed cùm cæteras partes attingi nolit, demittere id, ut ad cervices aqua descendat, eamque nequid oculis, aliisve partibus noceat, defluentem subinde manibus ad hoc regerere.] Secundò laudat aquam frigidam in aliis morbis maximè oculorum his verbis, quæ repetere non erit inconsultum: [ Neque verò his solis, quos capitis imbecillitas torquet, usus Lib. 1
aquæ frigidæ prodest, sed iis etiam cap. 5
quos assiduæ lippitudines, gravedi-

nes, distillationes tonsillæque malè habent. His autem non caput tantum quotidie perfundendum est, sed os quoque multa frigida aqua fovendum est: præcipuéque omnibus quibus hoc utile auxilium est, eo utendum ubi gravius cælum austri reddiderunt.] Hocque mutuatus est Celsus ab Hipp. qui sic effatur: ad oculos *frigida caput aspergito* ut dictum supeiùs agen-
2. Epid. sect. 6 do de morbis oculorum. Prosunt etiam ex textu supracitato ad sublevandos dolores, *sternutamenta*, quæ motrice cerebri facultate cæteras partium ita trahunt in consensum, ut accitis etiam convulsionibus universi corporis quod expugnabile in venis adhærescit exteriùs propulsatur: *Succi* tenuioris naturæ qui crassos humores è venis interceptis abradunt, *varia cycennis mixtura*, ideſt; vesicula cum vino, & cæteris calidis, ut croco, in plevritide & peripneumonia præ cæteris mixta. Quod experiuntur quotannis rustici in doloribus laterum; vino enim potenti fibris infertur quæ convulsionem, ideſt, interceptionem venarum solvit, crassus humor orgasmum concipit quem

natura jusculo roborata per anacatharsim cum pauco sanguine liberè, liberaliterque subducit, & ita morbum auffert.

Notandum tamen circa venæ sectionem quam Hipp. laudat in curandis doloribus, si superiores partes insiliant, plevritis, peripneumonia, phrenitis & ut sanguis mittatur è venis partium superiorum his respondentium; si verò inferioribus sint infensi, ut ileus, renum & uteri inflammationes, è venis inferioribus, ut e malleolo, poplite, si mediis, ut hepatis inflammatio, ex utrisque.

Celsus ad dolorem supradictorum curationem hoc remedij genus lateri impositum putà inustiones laudat his verbis: *Remedium verò est magni & recentis doloris sanguis missus. At sive levior, sive vetustior casus est, vel supervacuum, vel serum id auxilium est, confugiendumque ad cucurbitulas est, ante summâ cute incisa. Rectè etiam sinapi ex aceto super pectus imponitur, donec ulcera pustulasque excitet, & tum medicamentum quod humorem illum citet*, nutriculum intellige, qui veteris & morbosi medicamentum Lib. 4. cap. 6

ſit, illumque non modò per communes ventris & veſicæ, ſed per oris vias ſubducat anacatharſis miniſterio.

Peripneumoniæ & plevritides, ſi per ſputa, vel per criſes non repurgentur intra quatuordecim dies, vel moritur æger, vel ſuppuratio fit, quæ niſi quadrageſimo finem habeat educta per ſputum aut inſuetas veſicæ ventriſque vias materiâ putridâ, tabem inducit, ſæpiùs tamen effuſo pure in thoracis capacitatem empyema ſequitur, quod ab aliis etiam cauſis infertur, maximè à pituita fluente in pectus è cerebro. Quòd ſi dum pus fluctuat in latere, æger uratur aut ſecetur ea parte antequam diu-
1. de morb turnum fiat, ſanus plerumque evadit, ut ait Hipp. ſic etiam effatur. *Pu-*
2. de morb *rulentum lacte bubulo craſſiorem redditum in pectore & dorſo inurito. Si enim uſtio proſperè tibi ſucceſſerit, juvabis.* Repetit his verbis: *Si verò ad pectus pus eruperit, qua parte de ſe tibi ſignificationem præbere videbitur; illic ſectione aut uſtione facta pus primùm paucum educito, reliqua eadem facito, quæ in priore purulento ſcripta ſunt.* Quòd ſi morbus fiat

è cerebro, illi propriis inustionibus opitulandum.

Hieronimus Fabricius testem se præbet hujusce veritatis, cujus rationem ignorat, dum ex animo liberéque (ut ait) fidem facit, se in praxi vidisse empyematicum, hoc est, empyemate affectum (à pituita è cerebro in thoracem decidua, & illic in pus conversa) quotidie pituitæ catinum extussientem, fuisse per fonticulum bregmatis sanitati redditum. Quod apprimè adversatur non solùm deliramento catarrhi quod scripsit Helmontius, ut è morborum genere hunc eraderet, sed etiam iis quæ vulgus Medentum effatur de fonticulis, nempè per eos materiam morbosam educi debere, cùm quæ à fonticulo prædicto efferebantur, ne centesimam materiæ è cerebro in thoracem deciduæ, & per sputa sese efferentis partem æquare possent. Lib. 1 cap. 1

Tabes inter affectus thoracis periculosior, est pulmonis exulceratio cum febre lenta. Alia autem pulmonum morbis succedit potissimùm plevritidi & peripneumoniæ in pus conversæ, undè ait Hipp. *Quicumque* Coac 396.

*pulmonis inflammatione laborant, neque diebus iudicatoriis repurgantur: verùm cum delirio quatuordecim dies superarunt, iis suppurationis metus impendet:* Alia, distillationi pituitæ è ce-
7 aph rebro factæ, indéque ait Hipp. *Distil-*
38. *lationes in ventrem superiorem intra dies viginti ad suppurationem perveniunt.* ultima à sanguine è vasis pulmonum in bronchia & substantiam eorum effuso & in pus converso: indéque
6 aph ait Hipp. *quibus in ventrem*, ideſt, in
20. partium substantiam *sanguis præternaturam effusus est, suppuretur necesse est;*
7 aph *à sanguinis sputo, puris sputum à puris*
15. *sputo phthisis.*

Est tamen alia species tabis apud Hipp quam veriùs cachexiam quæ perducit ad tabem quis indigitet, quæ aliquando citra pulmonis ulcus mortem infert. Generatur ab ingenti humoris putridi & cæterorum compage soluti colluvie, quâ partes corporis vero genio & ultimo alimento fraudatæ deturpantur & contabescunt, accita utplurimùm è cerebro calidiore in pulmonem acri fluxione, quâ eroditur, ulcus contrahit, & ab ulcere tabem

infert. Familiaris eſt autem hæc tabes quibus menſes ſuppreſſi ſunt, aut hæmorrhoides, indéque ait Hipp. *Ex ſuppreſſis menſibus tabis periculum impendere*: * *à diuturnis hæmorrhoidibus incurato, niſi una quapiam ſervetur, periculum aquæ intercutem aut tabis impendet.* Lib. de nat. mulieb. * 6. aph. 12.

Vtraque difficillimè curatur ſi cum pulmonis ulcere ſit; æſtate enim quæ propter calorem, ulceris amica eſt febris hectica ità invaleſcit, ut nulla arte poſſit aufferri, maximè cùm lactis uſus in ſolo noſtro hac tempeſtate ſalubris vix eſſe poſſit; hyeme in qua ob tempeſtatis frigiditatem hectica febris remittere videtur, ulcus ingraveſcit. *frigidum enim ulceribus eſt inimicum.* Autumnus, devolvente ſe in ventrem è ſuperis locis ſquallentibus humore nutriculo unâ cum igne nativo non ſecus ac ſole in terram, tabidis apprimè malus eſt, unde ait Hipp. *Optandum eſſe ut curationem vere aggredi velis*, quo tempore, *non ſecus ac arbores præparant ſibi ad æſtatis commoditatem, tum incrementum, tum umbram, ita & homines cùm mente præditi ſint, ſalubre* 5. aph. 20. 2. de morb. 3. de vict. at.

*carnis incrementum sibi comparare debent.*

Quòd si affectio distillationem è capite oriundam sequatur aut effusionem sanguinis in thoracem, inustiones habitâ ratione causæ præscribi debent; in priore casu, juxta caput, quò pituitæ fonti consulatur; in alio, tibiis, ut sanguis trahatur ad partes inferas, ne in thoracem faciliùs erumpat; si tabes à plevritide & peripneumonia ducat originem inustiones agendæ sunt juxta partes quas scripsimus in iis affectibus.

Vt autem ratio habeatur partis recipientis & quæ sua imbecillitate pravos humores congerere & morbum revocare possit, maximè *si tabes dorsalis sit: cum crassissimus evaserit ager, ad ejus lumbos ex utraque vertebrarum parte quatuor crustas inurito, & ad dorsum ex utraque parte quindecim, & in cervice inter magnos nervos duas*; quibus pravorum humorum colluvies quæ in ea corporis sede congeri posset, à natura medicatrice ad partes excrementis dicatas, inustionibus lumborum viam veluti præmonstrantibus deducatur: *Si enim ustio probè tibi suc-*

Lib. de inter affect.

*cesserit*, ideft, thoracis intemperiem & humores infenfos ceffare fecerit, *sanum reddes, est autem morbus gravis.* Indè * fiftulæ juxta os fterni à natura medicatrice è thorace non fatis expurgato inductæ liberant à tabe. * Zacut obs.

Celfus ad curationem tabis inuftiones præfcribit his verbis: *Si vehementior noxa est, ac neque febricula, neque tussis quiescit, tenuarique corpus apparet, validioribus, auxiliis opus est; exulcerandus & ferro candenti, uno loco sub mento, altero in gutture, duobus ad mammam utramque, item sub imis ossibus scapularum, (quas ὠμοπλάτας Græci vocant) sic ne sanescere ulceras sinamus nisi tussi finita, cui per se quoque medendum esse manifestum est.* Lib. 3 cap. 12.

In ea fpecie tabis quæ meram pravorum humorum congeriem fequitur, videndum cujufnam fontis vitio contingat, ut dictum fuperiùs, ex *libro de flatibus*. Quòd ex profeffo Hipp. repetit his verbis: *Qui diu pallidi faciem habent tumidam, eos certum est, aut capitis aut viscerum dolore laborare, aut sedem internam quodammodo malè affectam esse; magna autem ex parte* 2. prorhet.

*ubi hæc adfuerint, non unum aliquod malum inesse videtur, sed interdum multa, aut etiam omnia.* Ideſt, qui diuturno pallore detenti, corpore & præſertim facie tument, eos certum eſt, aliquo fonte corporis laborare cerebro, liene, hepate, undè fit ut humores ſecreti pituitâ vel bilis utraque non ſatis expurgentur à ſanguine, ſiſtantur in corpore quod attollitur in tumorem, à pituita, colore albo; à bile, flavo; ab atra bile, nigro; vel ſedem internam, ideſt, ventriculum *qui magnus eſt omnium fons, maris facultatem habet, omnibus dat & ab omnibus accipit*, vel proprio, vel alieno partium ſociarum vitio ægrotare, undè tanta morborum ſeges erumpit.

1; de vict. rat.

Quæ cùm ita ſint, inuſtiones habitâ fontis pravam colluviem ritè non expurgantis fieri debent: hepate bilem non ſubducente, lateri dextro cruri aut tibiæ ejuſdem loci; liene atrum humorem non ſatis auferente, lateri ſiniſtro, cruri aut tibiæ; ſi pituita vitio cerebri congeratur, capiti, co'lo, cervici, brachiis: ſi ventriculus ſeu publicus fons cache-

xiam inferat ; quam Hipp. scripsit sub nomine *convolvuli*, juxta illum, crus, aut tibiam sinistram, nî quid aliud ita agere prohibeat ; quia ad *primam mali causam, causæ occasionem & primordia deveniendum est.* Lib. de inter affect. 2. Epid.

Nec thoraci parcendum est, si ulcus pulmonis cum ea labe complicetur. Cùm enim æger crassissimus fuerit, inustionibus juxta cervicem dorsum & lumbos, ut anteà dictum admovendæ ; quibus inducto robore si quid infensum labem revocare possit, è corpore subducatur.

## SECTIO IV.

*De morbis cordis, diaphragmatis, spinalis medullæ, de tussi, respiratione difficili, palpitatione, syncope.*

AFfectionum diaphragmatis quibus inustiones utiles esse possunt, non levis est, inflammatio delirij parens, efferente se ad cere-

brum quod ſenſus retinet omnes igne nativo phreniticam veluti naturam adepto; & quia convulſis à pituita & à bile venulis originem ducit pleuritidis more, concitatis juxta partem affectam ulceribus, ut ſupradictum, poterit expurgari, ſi curationem ſuſcipere poſſit.

Spinalis medulla ſuis affectibus eſt obnoxia. Laborat tabe recens ſponſis libidinoſiſque familiari, ut
6. Epid. 8. 51. quondam expertum in *ſatyro grypalope* qui eâ periit, & inuſtionibus in tabe ſuperiùs ſcriptis, ne recrudeſcat, curari poterit.

Vertebræ unà cum coſtis ita luxantur aliquando, ut varias gibboſitatum ſpecies inferant. Hoc malum curari vix poteſt, ſed tantùm præcaveri inuſtionum miniſterio. Si enim devolvente ſe à cerebro fœtus intra uterum non ſatis expurgato, in venas vertebrarum & coſtarum humore pituitoſo, & vertebris coſtiſque ob illarum interceptionem genio fraudatis adveniat, & quia ut ait Hipp.
Lib. de morb sacr. *defluxio ad cor viam affectat, undè palpitatio & anhelationes prehendunt, corpus corrumpitur, quidam etiam in-*

*curvantur*, ſtatim à nativitate, nî ulcera fiant in capite, quibus attracto ad cerebrum igne valida fiat prædicta partis expurgatio non ſolùm per ea, ſed etiam per vias naturæ conſuetas, inuſtiones agendæ ſunt juxta collum, in occipitio, ut quod natura à ſeipſa perficere non potuit in utero, illarum beneficentiâ conſequatur.

Mammæ vix patent affectibus quibus inuſtiones præſcribi debeant, niſi communibus aliarum partium, quibus proindè inuſtionibus iiſdem opitulandum.

Inter ſymptomata thoracis præcipuum eſt tuſſis, cui, ſi ſtillante, in os & bronchia, è cerebro humentiore, pituita contingat, & pertinax ſit, inuſtionibus ad catarrhum præſcriptis ſubvenietur. Indè Celſus laudat ad tuſſim *cucurbitulas pectori admotas & ſinapi ex parte exteriore faucibus impoſitum, donec leviter exulceret.* Lib.4 cap.4

Idem cenſendum de reſpiratione difficili & obſcura; ſtrangulationem vocant, ſi affectante ad cor & bronchia viam catarrho progeneretur, ut

diximus superiùs : si ab inferis locis utero & aliis primam sui originem ducat, habita ratione prioris causæ inustionibus partium inferiorum apprimè consuletur, ut venæ sectione

2. Epid. tali *in ancilla Stymargi Idumea.*

Vocis affectiones si ab eodem humoris defluxu è cerebro fiant, inustionibus ad caput collúmque factis sanari poterunt.

Inter affectus cordis quibus inustiones præscribi debent, præcipua est palpitatio, quæ vel, fit à pituita quæ decumbit è cerebro, undè thoracis & pericardij hydrops enascitur; Indéque dictum ex Hipp *si de-*

Lib. de morb sacr. *fluxio ad cor viam affectarit, cordis palpitatio & anhelationes prehendunt. Vbi enim pituita ad pulmonem & cor devenerit, refrigescit sanguis, venæque per vim refrigeratæ ad pulmonem & cor resiliunt, corque palpitat*; vel elatis ex inferis locis, utero, testiculis purulentis, liene, ventriculo ingratis vaporibus ducit originem. In priore casu prospiciendum inustionibus capitis & colli, quibus pituita in cor fluens observato naturalis circuitus ordine è corpore profundatur.

Nec inutiles forent inuſtiones juxta cor admotæ ſi affectio ſanabilis eſſet, modò eam pulmoni violentiam non inducerent, quæ apertionem ramulorum venæ arterioſæ poſſit inferre, ut ex admota ſupra cor majore cucurbitula eveniſſe ſemel exhorrui quoquo modò adulari ſibi videatur. Riverius Profeſſor Monſpelienſis in ſuis obſervationibus.

Illuſtriſſimus Vir D. Gotofredus de Becherand hujuſce Vrbis, & in ſuprema Computorum, ſubſidiorum Fiſcique regij Monſpelienſi Curia Senator, laboravit palpitatione cordis & omnimoda pulſûs inæqualitate cum ſpiratione difficili, à tenui ſero quod cerebri non ſatis expurgantis debilitate in thoracis & pericardij capacitate poſt fonticuli collo per longum tempus geſtati exſiccationem ſenſim congeſtum erat. Præſcripta fuere à Profeſſoribus Monſpelienſibus varia hydragoga, cùm autem affectio medicamentis non cederet, rumor invaluit, ægrum metu periculoſæ tempeſtatis cùm è Rhodano perolij ſtagnum traijcerit, effuſo & congelato, in levibus arteriis, ideſt, in arteriæ venoſæ ramu- Hiſtoria

lis ſanguine in eam incidiſſe. Res defertur ad conſilium. Decernitur confugiendum eſſe ad magnam cucurbitulam ſecundùm obſervationem à Zacuto ſcriptam cùm gravi ſcarificatione ſupra cor admovendam; Renuit Chirurgus ordinarius crudele remedium exequi, vocatur extraneus, qui ablatâ cucurbitulâ ſcalpellum coſtas adegit, imponit denuò cucurbitulam quæ plurimum cruorem extraxit: vulnera fricantur ſale & aceto; & ut ſanguis quem in ramulis arteriæ prædictæ concreviſſe Profeſſor Regius ſibi perſuaſerat, in humorem diffunderetur, præſcribit remedia bechica aperientia & Elixir proprietatis cum vino; ſanguis ad partem afflictam ita accurrit, ut fractis venæ arterioſæ clauſtris craſſus quidem à prima fronte præ concepta frigiditate, mox purus putuſque cum ſpuma per os exierit; Acurro ego ad id ſpectaculi citatis equis: utque ſputi natura ſanguinem arterioſum per os excerni conſpicatus, Profeſſori hunc caſum ægreferre iam incipienti mentem meam tacere non debui, probavit ille, & venam ſerari juſſit in brachio ſiniſtro

incrassantia bechica præscripsit; sed antequam parata essent cita mors ægrum è vivis abstulit. Aperto cadavere sanguis in eo pulmonis lobo juxta quem admota erat cucurbitula & in ipso corde plurimus fuit; ruptus venæ arteriosæ ramulus apparuit, pericardium aquâ nimis turgidum, thorax similiter, hepar præ consensu à naturali colore desciverat, hydrops ventris unà cum illo thoracis in promptu erat. Tanta fuit seri ob cerebri frigiditatem in corpore, maximè juxta cor stagnantis sævities; tam necessaria erat industria fonticuli quo labem illam natura præcavebat.

In alio casu, idest, in palpitatione quæ à partibus infernis exoritur, inustionibus illarum, ut lateris sinistri, cruris, tibiarum succurrendum est, quia ad primam mali causam, causæ occasionem & primordia deveniendum est. Indè palpitationem à testibus putridis oriundam, fonticulis ad inguina concitatis sanatam fuisse narrat Zacutus.

A syncope, si ab iisdem locis contingat, inustionibus similiter præservari quis poterit. obs.2.

Pericardij verò hydrops si curari possit, ( quod rarum ) inustionibus dicendis in proprio capite auffere-tur.

# LIBER IV.

## *De morbis ventris inferioris.*

MORBI ventris, alij sunt œsophagi, ventriculi, mesenterij, omenti, intestinorum, hepatis, lienis, renum, ureterum, vesicæ, partium inservientium generationi tum in viris, tum in mulieribus, de quibus à nobis agendum est, abdominis morbos inter externos relaturis.

## SECTIO I.

### *De morbis œsophagi.*

OEsophagus per quem cibi & potûs ad chyli generationem

& aër ad respirationem inferiorem descendunt, rarò morbis tentatur, ex eo quod quæ in eum delabuntur, patentiore viâ in ventriculum subeunt; intemperies tamen & tumores cæterarum partium more contrahit, quibus potissima functio putà deglutitio vitiatur, maximè si arteriæ nervos illius igne nativo perfundentes præ humiditate paralysim huic parti inferant, vel venæ eorum nutriculæ crassis humoribus in angina exquisita interceptæ, convulsionem lethalem accersant.

Prior casus accidit potissimùm arthritide laborantibus, cùm humor illius causa è cerebro depluere incipit. Vidi aliàs Reverendum Patrem Capucinum nomine Alexandrum Malaussenensem, cui deglutitio ità fuit ablata per quatuor dies, ut sine cibo & potu, solis enematis & odoribus vitam duxerit. Obstupui à prima fronte symptomatis novitate, anginæ sobolem esse ratus: aperto ore secretiora columellæ & pharyngis loca consului, & ut viam quâ cibi feruntur in ventriculum prorsùs apertam, ac quasi illæsam, respiratio- Historiæ.

nem ut anteà liberam animadverti, paralysim intimarum partium oris, maximè nervorum deglutitioni operam navantium in jus vocavi. Intereà venæsectionibus brachij, cucurbitulis scapularum, vesicantibus, enematis cedere noluit affectus (neque enim internis remediis non secus ac alimentis locus erat, quamvis æger per cubiculum cœnobiique dormitorium incederet, seu nulla affectione premeretur.) Voluit autem ille de mali gravitate certiorem me esse: hoc consilio, vinum ore clauso intra gulam retinere, & in œsophagum pellere conatus est; At cùm incalescente pulmone expiratio vim inferret, tanto robore aërem calidum & vinum ejecit, ut per nares majore sui parte non sine stangulationis discrimine viam præcipitaverint. In tantis angustiis, quæsivi num arthriticis doloribus obnoxius esset; annuit ille: deglutitionem his supervenientibus liberam fieri posse aio: crudele remedium expectas, respondit: Nec fefellit eventus. Quinto enim incipiente, obortis doloribus ad pollicem pedis, deglutitio integra fuit, & in ar-

thritidem res prorsùs ceſſit. Jlluſtriſſimus Vir Dominus Marchio de Mortara, olim Præfectus caſtrorum Regis Catholici in Catalonia, cùm apud nos, bello captus, data fide Chriſtianiſſimo Regi, cuſtos ſui diverſaretur, ita immunis ab arthritide, quâ vel pedibus invalidum, vel doloribus anxium, & per totam ferè quadrageſimam à quodam tempore cubili affixum habebat Hiſpania, ut ab Jlluſtriſſimo Domino Mareſchallo de Schomberg, Occitaniæ Præfecto Regio qui illum ad nos miſerat, ſe à prædictis cruciatibus liberatum fuiſſe promulgaret, adventante vere deglutitionis impedimentum ſenſit; cui non venæ ſectione ſolâ à me præſcriptâ, ſed levi quodam arthritidis ſenſu, cujus indicium deglutitionis læſionem eſſe dixit, curatus fuit. Idem expertus ſum in Domino Regon hujuſce Vrbis Vicario perpetuo, cui ità impedita fuit deglutitio citra tamen offenſam gutturis ob humores in intimas oris partes & in linguam effuſos, ut anginâ falsò laborare crederetur; quod tamen malum ſuperveniente arthritide, revulſáque ad ar-

ticulos illorum colluvie derepentè fanatùm, aut potiùs in aliud mutatum fuit. Inde Hipp. tussim siccam quæ concitatur pharynge irritato dum humor è cerebro fluens ruere properat in articulos, ponit in signum doloris illorum, seu à seipso incipiat, seu febri
6. Epid. 7.11. malignæ succedat, his verbis: *Tusses quæ lassitudinis sensum inducunt, etiam partes læsas, sed præcipuè articulos contingunt. Quin etiam in febribus cum lassitudinis sensu tusses siccæ fiunt, quæ si relinquantur, una cum febre in articulos formantur.* Idest, si quem lassitudinis articulorum laborantem tussis prehenderit, humor non solùm è cerebro & è venis majoribus aut aliis in febre maligna in os & pulmonem descendit ut tussim moveat, sed etiam in articulos, cujus metastaseos signum desumitur à tussi; *si enim pars*
Aph. *quæpiam laboraverit, in eam se morbus obfirmat.* Repetit his verbis: *Qui-*
2. Epid. 7 *bus tussis nihil elidit, & sicca est, eam non nisi valido coxendicum dolore & crurum aut testium solvitur.* Repetit lib. de hum. ubi affert experientiam factam in *Perintho.*

Nec in articulos solùm se agit flu-

xio è cerebro quæ tuſſi ſiccâ & deglutitionis læſione ſui indicia prodit, ſed in alias partes corporis, ubi variis ſymptomatis infenſa eſt, ad latus, pulmonem, hepar, inteſtina & alias, quibus inflammationes lethales infert, nî ad articulos protrudatur, aut valido purgante ad humoris orgaſmum præſcripto ſtatim eliminetur. Hac forte Reverendus Pater Angelicus Arelatenſis Capucinus intra graviorem hybernæ tempeſtatis inclementiam peripneumoniâ ſublatus fuit ſeptimâ die ut prædixeram; Vnus è Centurionibus legionis nauticæ, nomine de Bouffier Gratianopolitanus quem Rex Chriſtianiſſimus apud nos in Arcis præſidium collocaverat, à tuſſi ſicca lateris dolorem incurrit, cui non tam venæſectione iteratâ & copioſâ quàm purgante valido ab exordiis humoris è cerebro in latus & ab eo in articulos decumbentis præ orgaſmo conſultum fuit; hoc enim & à dolore lateris & ab arthritide citiſſimè curatus fuit. Preſbiter quidam illorum quos in Urbe noſtra à veſtis colore *Albos* vocamus, nomine Lau-

zum, à tuſſi ſicca, in gravem dolorem lateris juxta hepar incidit, quem non tam venæ ſectione quàm reiteratâ purgatione validiore ad humoris è cerebro in jecoris venulas delabentis orgaſmum priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit, cum ſtupore Pharmacopæi; qui ut ipſe palam confeſſus eſt, ægrum hac purgatione occiſionis à me traditum fuiſſe judicaverat. Dum hæc ſcriberem Nobilis vir D. Deponat Grationopolitanus, dux Equitum, apud nos, tuſſim ſiccam cum levi dolore capitis uvulæque relaxatione perpeſſus eſt; brachij dextri venam ſecari, mox malleoli, catharticum exhiberi & refrigerantia bechica, præſcripſi: quibus affectio decem dierum ſpatio imminuta, non tamen ablata fuit: ceſſavit protinùs dolor capitis ſimul cum tuſſicula juxtà undecimum nocturnis horis, agente ſe præ orgaſmo in partem ſiniſtram inferioris ventris humore undè oriebatur, qui ileum periculoſiſſimum nobis expoſuit, dolore ingenti, vomitu, ſuppreſſione alvi omnimodâ, flatibus & tumore ventris ſtipatum cui pillulis fortioribus ex extracto aloes, diagridio

& granis aliquot reſinæ Ialapiconfectis eadem ferè hora opitulatûm fuit,ut cæteros ægros afferre ſuperſedeam, qui à prævia tuſſi ſicca, ruente è cerebro pituitâ orgaſmum adeptâ, varios morbos acutos catarrhi ſoboles incurrerunt; maximè cùm ſatis ſuperque, pateat quantum à vero receſſerit Helmontius, dum in ortu ſuo Medicinæ Catarrhum tamquam anile figmentum ex albo morborum eradere molitus eſt, ut fonticulorum vanitatem quam ſibi perſuaſerat, poſteris evulgaret.

Cùm ergo inuſtiones capitis & colli tantùm proſint ſubducendæ è ſuperis locis per vias conſuetas pituitæ quæ adepta fluxilitate, biliſque naturâ in oris penetralia & in articulos aut in alias partes ſævit, nî medicamento purgante foras eliminetur, conſultò poterunt celebrari, ut & ſub collo ſi res id exigat, quemadmodum diximus in curatione anginæ. Quòd ſi hæc ſymptomata alios affectus ſequantur, apoplexiam, convulſiones, inuſtionibus, habitâ morbi ratione ſanari debent,

## SECTIO II.

### *De morbis ventriculi.*

INtemperies ventriculi præcaveri & curari debent inustionibus contrariis, & quæ respondeant ex adverso his quæ ad capitis morbos inferuntur. Calida, admotis juxta caput, collum & brachia, quibus attracto ad superas partes igne, venter refrigescat; & si in humiditate vitium sit, siccetur, frigida parti abdominis quæ respondeat ventriculo, tibiæ sinistræ aut cruri, ut devolvente se è superis locis ad partes internas infernasque igne, frigiditas corrigatur, & siccitas si quæ sit illius comes, superveniente alimento, ab igne humido, auferatur; flatus, debilis ignis solis instar, & humiditatis plurimæ soboles, discutiantur.

Symptomata intemperierum sequacia eadem methodo præcaveri debent. Jnappetentia quæ fit vel à simplici calore, cujus ope dum ventriculus

ſaturatur, aliæ partes fraudantur genio, inuſtionibus partium ſuperiorum eget; quæ refrigeſcentibus arteriis nervum ſextæ conjugationis orificio ventriculi præpoſitum igne nativo perfundentibus; eóque veluti paralyſim adepto fit, per duos annos duraſſe ait Hipp. in *filio Cleomenis*, & 5. E-
per annos veluti miraculosè viſa eſt, pid.
inuſtionibus partium inferiorum, & ſi, ut plerumque fit, devolvente ſe in eam corporis ſedem è cerebro, humore craſſo adveniat, proſpiciendum capiti, primam affectionis cauſam, cauſæ occaſionem & primordia ſuppetenti.

Faſtidia ciborum quia ducunt originem à peculiari fontium corporis & ventriculi idioſincraſia, hæreditario jure ſæpiùs contrahitur, ſi remediis auferri poſſit, inuſtionibus quæ fonti labem ventriculo impertienti conſulant, tentari debet

Appetentia nimia, frigiditatis humorem neceſſarium ventriculo, è venis attrahere prohibentis ſoboles, unde fit, ut *aqua & vigilæ voraces* 6. E-
*homines eſſe faciant*; hæ movendo ig- pid.
nem exteris ſuperiſque partibus; illa, 4.18.

refrigerando internas, maximè ventriculum, inustionibus partium inferiorum, quibus ignis ad illas & ad ventriculum attrahatur; quòd si affectio lienis humorem atrum aut cerebri pituitam acidam non satis expurgantium vitiis succedat, propriis earum partium inustionibus attingi debet.

Malacia quâ detenti edulia naturæ utplurimùm aliena solent appetere ob fontem corporis seu publicus sit, putà ventriculus; seu privatus alieno humore imbutum qui similis attractione appetentiam hanc infert, inustionibus juxta fontem ægrum aut partes consentientes auferatur.

Sitis quæ efferente se nimiùm ad partes externas cum igne humore nutriculo fit, unde somno sedatur, juxta Hipp. effatum. *Levem inter vigilandum sitim somnus sedat*, inustionibus quibus ignis ad interiora devolvatur, non secus ac in somno fit, mulceri poterit; quod si à validiore partium internarum maximè ventriculi calore procedat, unde *eam sitim quæ ex somno orta est*; devolvente se nimiùm igne ad interiora, *vigiliæ interdum sedant*; inu-

6 Epid. 421.

stionibus partium superiorum, quæ vigiliis proportione respondent, curari poterit.

Coctio imminuta frigiditatis ventriculi filia, & ructuum acidorum comes; unde fit ut *vigilia post cibos noxia sit, quia cibos colliquefacere non sinit,* adducto, ad partes infernas internasque inustionum ministerio igne perficietur.

Depravata, quæ ignis non elixantis, sed assantis opus existit, & ructuum nidorosorum comes, attracto ad partes superas exterasque igne, inustionibus juxta eas partes admotis curari poterit. 2. de vict. rat.

Quòd spectat ad symptomata quæ contingunt circa facultatem expultricem ventriculi: singultus, si interceptis à crasso humore venis quibus ventriculus nutritur, originem ducat, inustionibus juxta ventriculum, crus sinistrum, aut tibiam admotis curari poterit; sed si hic humor è cerebro pituitam non satis expurgante fluat, inustionibus habitâ illius ratione, putà brachiis, collo aut capiti factis aufferetur. At si hoc symptoma febris malignæ sit comes, ut

inflammationis hepatis, aut alterius, inustionibus morbo primario consentientibus sanetur.

Vomitus quem ità pertinacem vidi in Moniali quadam, ut per decem & septem annos ante mortem omnia alimenta tum humida, tum sicca, solis exceptis nucibus juglandibus conditis, pauco temporis spatio per os ejecerit; si ab humore huic parti affixo, aut illam trahente in consensum fiat, ut ab utero, qualem vomi-
7. Epid. tum notavit Hipp. in *sorore Licinij*, inustionibus partium inferiorum curari debet, attracto ad eas internasque
Arist. igne quo, *natura* medicatrix *omnia operatur*; attamen si vomitus biliosus sit, ob hepatis bilem non satis expurgantis imbecillisque vitium, citra grave incendium illius, quo bilis invalescat in corpore, inustiones juxta hepar, crus dextrum, aut tibiam admoventur; si pituitosus, qualem nota-
4. Epid. vit in *filia praefecti Annonae*, è cerebro pituitam non satis expurgante, juxta caput & collum; si sanguineus, qua-
5. Epid. lem vidit in eo qui *habitabat prope curriculum*, ad tibiam dextram, crus, aut hepar; si atrae bilis, ut in *Conjuge*

*Eumenis*, præ lienis vitio non satis expurgatæ, inustionibus eget ad eam partem, crus sinistrum & tibiam admotis; ut ad primam mali causam, causæ occasionem & primordia res deducatur. 4. Epid.

Cæterùm non abs re erit hîc scribere quantùm aberret vulgus Medicorum à mente Hipp. dum picrocholos ἄνω tanti viri intelligendos eos esse autumat, qui porum quendam cholidochum superiori orificio ventriculi à natura præpositum habent; quamvis enim nisi quidam sint hac conformatione bilem vomuisse; propriè tamen picrocholi ἄνω sunt illi qui superiorem exterioremque corporis superficiem interna calidiorem à natura habent, proportione respondent æstati, obesi, rubri aut flavi sunt. Picrocholi κατὼ, qui contrariam sortiuntur temperiem, graciles sunt, externáque corporis superficie proportione respondent hyemi, interna respondent æstati. Quòd si vomitus in illis concitetur, sola naturæ ratione habita, inustiones partibus inferis admovebuntur, quò, devolvente se ad illas

igne qui validior eſt in ſuperiore & exteriore ambitu, affectio ceſſet; è contra quibus vomitus fit ob incendium partium interiorum, dum externæ præ nativa imbecillitate frigiditatis ſobole reſpondent hyemi, ſuperis partibus; quo attracto ad eas igne, partium interiorum bilem nimis accumulantium incendio ut decet, conſulatur.

Quamvis cholera morbus quâ varij humores, bilioſi præ cæteris excluduntur per vomitum & per alvum, citò ſua percurrat tempora, maximè hoc noſtro cœlo; inuſtionibus non parum adjuvabitur. Cùm ergo hic affectus ſedem obtineat in ventriculo & in prioribus inteſtinis, quæ dum irritantur ab acri ſucco ità venas univerſique corporis ſubſtantiam exhauriunt, ut *convulſiones*, quas Hipp. *ab inteſtinis profectas* nominat in hiſtoria *Athenienſis*, ingenerent, inuſtis ad ſuperas potiſſimùm corporis partes, caput & collum ulceribus juvari poterit. His enim attrahetur ſuperis exteriſque partibus ob exhauſtum refrigeſcentibus ignis quo interiora æſtuant, venter refrigeſcet, con-

5. Epid.

vulsio quæ exprimentibus sese in ventriculum venis fit, ejusque parens affectus cessabit. Inde Hipp. *Atheniensi* prædicto quem cholera cum convulsionibus ab intestino profectis & singultu ab eadem causa & irritatione illius sequaci angebat, factâ purgatione, *multa aqua cal da lo ionem à pudendis deorsum* præscripsit, *in tantum ut superiora incalescerent* (quod notandum est) *& vixisse* ait. Revulsus enim fuit superis exterisque partibus ignis unà cum humore, quibus ad ventriculum plus quàm par erat sese efferentibus affectio enascebatur. Hujusce remedij utilitatem expertus sum in ægro hujus Urbis nomine Gleyzar, juvene & temperamento sicco admodum & calido, qui cùm detineretur à quibusdam diebus affectione prædicta, irritis remediis quæ à Phamacopæo & Chirurgo fuêre administrata, me tandem accersit dum in angustiis esset, utque ex affectûs natura & interstitio, cholerâ morbo statum adepto laborare deprehendi, lotionem Hippocratis more ex aqua calente à pudendis deorsum præscripsi donec superiora incalescerent, quod

5. Epid.

Historia

ita prosperè cessit, ut eadem die æger somnum cœperit, & morbus omninò conquieverit.

Celsus hoc remedium commendat adversus choleram, licèt mentionem non faciat partium superiorum è quibus inustiones magis revellunt ignem qui unà cum pravis succis infensus est intestinis, sed tantùm exteriorum, quæ ut diximus, ex Hipp. dum incalescunt ut per externam noxam, interiora refrigerant, & effrenes naturæ motus in ventre compescunt. Sic autem effatur : *Si extremæ corporis partes frigent, ungendæ sunt oleo calido, cui ceræ paulum sit adjectum : calidisque fomentis nutriendæ : si ne sub his quidem quies facta est, extrinsecus contra ventriculum ipsum cucurbitula admovenda est, aut sinapi superimponendum.*

Lib.4 cap.2

2.pra adm. obs. 16.

Zacutus fœminam cholerâ laborantem se sanâsse ait post cucurbitulam ventri appositam, ustione cervicis, cujus vi, distractâ naturâ fluxus cessavit omninò; hócque remedium in conclamato fluxu optimum esse, usum magis quàm rationem (quam ignorabat) edocuisse addit,

ut dictum in præfatione.

Cardialgia ultimum ventriculi cor in sympathiam trahentis symptoma, si à bile per hepar & venas in intestina priora descendente trahat originem, ut vulgò fit, cauterio tibiæ dextræ aut cruris, ratione bilis, aut in parte sinistra ratione ventriculi, præcavebitur; ut si ab uteri suffocatione oriatur; si aliis morbis succedat; inustiones habitâ morbi ratione præscribantur. 4. de morb.

## SECTIO III.

### De morbis intestinorum, ani, mesenterij, pancreatis, omenti.

INtestinorum intemperies & tumores qui eas comitantur, iisdem inustionibus præcaveri & curari debent ac eæ ventriculi (si inustionibus locus esse debeat non secus ac in aliis eorum morbis.) Idem censendum de angustia illorum sequaci utplurimùm, quæ inustis ad pubem, crura & tibias cau-

teriis ut mox dicetur, imminui poterit.

Inter ſymptomata primum eſt ileus, volvulum & cordapſum, Barbari *miſerere* indigitant. Eſt autem inteſtinorum & potiſſimùm ilei gravis & dolorifica coarctatio quæ nihil ſinit deorſum deſcendere, quamvis minùs periculosè in craſſis aliquando conſiſtat.

Inter cauſas illius præcipua eſt refrigeratio à pituita venas inteſtinorum imbuente Contrahuntur illa & indurantur fraude genij; fæces ita coacervant in ſuis cavitatibus ut ſurſum cogantur erumpere. Indè ait Hipp. *Refrigeratio ventrem indurat*. Aliquando
6. E- pituita bili permixta trahitur cum
pid. ſanguine in tuberculum inteſtinorum,
5.26. febris, doloris gravioris & mortis ſæpiſſimè ſocium. Indè ait Hipp. *Volvuli oriuntur quidem ex incaleſcen-*
3. de *te ventre ſuperiore, inferiore verò refri-*
morb *gerato. Reſiccatur enim inteſtinum & conſtipatur ex inflammatione, ita ut neque flatum, neque alimenta tranſmittat, ſed venter durus ſit & vomat, interdum, imprimis quidem pituitoſa, deinde verò bilioſa, tandem etiam ſtercus, ſitis & dolor maximéque circa præcordia*

*detinet, totus etiam venter dolet & inflatur, sese coarctat, feb es invadunt, præcipuéque septimo die contingunt. His ea curatio instituenda est. Venter superior quàm citissimè purgandus, sanguis ex capite & brachiis detrahendus, ut alvus superior calescere desinat, partes supra septum transversum excepto corde refrigerandæ, inferiores autem partes homine in aquæ calidæ solio collocato & oleo semper illito calefaciendæ, & calefacientia humida admovenda.* Ideſt. Ileus generatur in homine superiore ventre, ideſt; superis partibus ob ignis metastaſim incaleſcentibus, infernis verò, ideſt inteſtinis ob pituitæ in eorum venis congeſtæ dominium refrigeratis. Contrahuntur enim inteſtina præ frigiditate quæ genium in venis & ignem ſiſtit in illorum ſubſtantia quam inflammat, unde ita conſtipantur & exſiccantur, ut neque flatus qui concitantur in ventriculo & prioribus inteſtinis, neque alimenta concocta per partes inferiores tranſmittant, venter indureſcat chordæ inſtar circumvolutæ, maximè inferiore ſua parte, quibus fit, ut ea quæ congeruntur in inteſtinis surſum per os cogantur erumpere,

pituita primùm mali præcipuus autor, bilis demum, tandem stercus. Sitis interdum excruciat præ dolore & inflammatione, venter inflatur & dolet, ægris sese huc & illuc ob acerbitatem jactantibus; febres invadunt à putredine bilis & ab intestinorum incendio, maximè die septimo. Juxta enim hoc tempus (quod longissimum, febris, præ bilis & pituitæ in tuberculum attractæ æstu & intestinorum inflammatione se prodit, hominem jugulatura; cùm tamen si fiat antequam pravus humor è venulis intestinorum in substantiam excidat, bonâ sit, quia illarum solvit impedimenta. Ita affectum hac ratione curabis: venter superior, idest, superæ partes corporis refrigerandæ & exsiccandæ; inferiores, intestina nimirum, calefaciendæ & humectandæ, non educto è superis, capite & brachiis, sanguine, nî vasorum plethora ægrum premat, ut in textu corrupto aut malè intellecto legere quis potuit; sed ex inferis, tibiis aut malleolo, ut sanguis attractus ad intestina pituitam è cæterorum humorum compage solutam temperet, at-

tenuet, excalefaciat, dum superæ partes refrigerantur & exsiccantur; intestina humore necessario perfundantur; venter subducatur, affectio cesset; quod certè non est arduum conijcere ex semicupiis calidis & laxantibus, suppositoriis acribus, enematis similibus in textu præscriptis, quæ omnia sanguinem & calorem è superiori ventre trahunt inferiori, qui proindè incalescit & humescit, dum ille refrigeratur & exsiccatur.

Quòd etiam sanguis in hoc affectu mitti non debeat è capite & brachiis, nî humoris copiæ magis quàm morbi naturæ consulatur, ut textus superiùs scriptus patefacere videtur, sed ex inferis, pedibus & malleolo, docuit Hipp. his verbis : *Vbi alvus est intercepta & arctè conclusa, parvaque & nigra caprarum stercoribus similia nec nisi coacta demittit, hoc casu nasus erumpens, malo est.* Refrigescit enim ulteriùs venter orbatus igne & sanguine qui ad superas partes, putà ad nares sese efferunt, pituitâ in venulis intestinorum recrudescente. Indè etiam Hipp. in curatione ilei laudat 1. pro rh. 141.

dyssenteriam hæmateram & melancholicam, quibus dum sanguis in hæmatera per infernas partes educitur, venas intestinorum humectat & laxat ; alia , ideſt , melancholica , crassi humoris ſubductione venularum κωλύματα ſolvit : ſic autem effatur:
2. E-pid. *In tenuioris inteſtini morbo* , ideſt , in ileo , *ſed tenui* , ideſt , non ſublimi, antequam humor impediens & obſtruens è venulis exierit in ſubſtantiam inteſtini ileon dicti. *Frigidum vinum multum & meracum quantum convenit , dandum quoad ſomnus aut crurum dolor obortus fuerit* : frigidum quidem ne caput feriat , incendat , & humores in ventrem & articulos ex illo ruere faciat , ſed refrigeſcente, ut per ſomnum , ſuperiore ventre, inferiore incaleſcente , & humore qui venulas inteſtinorum obſtruit è prædictis locis in articulos diffuſo & dolores parturiente morbus ſanetur, *quem febris quoque & inteſtinorum difficultas ſine dolore ſolvunt* ; febris quidem auferendo convulſionem , ideſt, interceptionem vaſorum dictorum à craſſiore pituita factam ; dyſſenteria ſine dolore , ideſt , hæmatera aut melancholica

melancholica, crassi humoris temperatione, aut subductione per alvum facta, undè intestina laxantur, *superveniente alimento, ab igne, humido.* Lib. de Alim.

Cùm ergo tibiarum, ventris & umbilici potissimùm inustiones ignem & sanguinem trahant è partibus superis ad intestina, tutò præscribi poterunt in curatione ilei. Harum enim occasione non secus ac somno præcipua morbi symptomata conquiescunt, ut notatum in *filio Hermophili*, & frictionibus ventris, ut expertum in *olitoris uxore*; pituita funditur, sociis humoribus permiscetur, angustia cessat, intestina necessario humore perfusa laxantur & fæces excludunt. Vide caput de plevritide & de morbis renum. 5. Epid.

Idem censendum de colica & duritie ventris quæ ab eadem causa procedunt, refrigescente nimirum ventre inferiore, superiore verò incalescente. Dum enim ignis quo partes superiores incenduntur, ex arteriis ad tibiarum ventrisque venas inustionum lenocinio movetur, intestinorum venis se infert & pituitam

cavitatibus affixam solvit, liquat, dolor cessat, alvus laxatur; unde experientiâ compertum fuit juxta nos in generoso admodum viro nomine Benedicto, uno ex Subcenturionibus Regiis legionis Normandiæ, quem à colica cui præ cæteris obnoxius erat, ventre à pila plumbea inter præliandum discisso vulneratóque, ita sanatum fuisse vidimus, ut nullas imposterum injurias persenserit. Ualido enim igne ad intestina & ventrem attracto doloris & caloris occasione, crudus humor affixus venis intestinorum & periodici doloris causa solutus, diffusus, exteriúsque à natura expulsus fuit, undè non mirum est, si dolor non redierit.

Hist. toriæ.

Zacutus virum quendam ab ineluctabili colica exolutioni virium conjuncta liberatum fuisse ait, admotis candentibus cauteriis juxta umbilicum, sed dum id remedij genus eductâ biliosâ sanie solummodò profuisse scribit, à veritate multum aberrat. Biliosæ enim materiæ secretio pituitæ socio destitutæ & intestinorum venulis affixæ, cruditatem auxisset admodum, ultimo ægrotantis discrimine.

Prax. admir obs. 31.

Adstrictioni alvi prorsùs contraria est nimia humiditas ; sive profluvium, idque ratione materiæ quæ excernitur, varium ; si enim cibi non satis digesti excernantur, lienteria & cæliaca passio nuncupatur ; si chylus & varij humorès sine sanguine & dolore, diarrhœa ; si sanguis & cæteri humores sine vel cum torminibus, dysenteria.

Procreantur hi affectus vel à nimia humiditate quæ alimenta retineri non sinit, vel ab irritatione quam humoris acrimonia caloris filia parit. Vtraque causa vel generatur in primis viis præ errore coctionis, vel ex aliis partibus cerebro potissimùm in inferiora decumbit. Inde ait Hipp. *Dysenteria, lienteria ac diarrhœa consimiles sunt, & oportet ipsos sanare ita ut de fluxum è capite & superiore ventre intercipias aut avertas. Morbi enim natura hinc est, & nemo sententiam tuam reprehendet.* Lib. de affect.

Quæ cùm ita sint, quacumque ex parte & causa hi affectus procedant, seu è cerebro pravos succos in ventrem demittente, seu à cæteris, imo & ab hypercatharsi, maximè si pri-

migenij ſint, & à calore ventris procedant, nullo tutiore remedio poſt generalia & particularia ventris, ut enemata, ſanari poterunt, quàm inuſtionibus capitis, cervicis & humerorum; quibus venter ſuperior putà cerebrum incaleſcet, humoreſque ſuperfluos educet per loca conferentia; inferior, venter nimirum refrigerabitur & indureſcet, affectio ilei æmula ac proindè fluxionibus alvi prorsùs adverſa concitabitur primæ cauſæ mali occaſioni & primordiis, calori nimirum ventris apprimè conſuletur; quod ex eo conijcere eſt facile, quò attracto ad aures propter naturam congenerem pinguis à quo oſſa generantur, & bilis quæ à pin-
6. Epid. 3. 3. gui oritur, juxta Hipp. effatum: *bilioſum à pingui*, humore bilioſo *undè ſurditas fit, fluxum alvi ceſſare*, at-
4. Aphor. 28. tractóque tandem ob locum illius in hepate ſitum eodem humore, *ſurditatem deſinere*, & alvi fluxum invaleſcere conſtat. At quomodò bilis faciliùs attrahitur ad ſuperas partes maximè ad aures, quàm beneficio ignis inuſtionum ope eas validiùs perfundentis. *Sanguis enim*, ac proindè

bilis & reliqui humores, *ad maximè calidas partes concurrit, hique sunt illius saltus*. Quod multiplex experientia rationis comes firmavit. Nobilis Vir nomine Magnim de Montroux Dux equitum, vocavit me Bolenam, ut puero quinque aut sex annorum laboranti à totidem mensibus alvi fluxu, torminibus & fluori sanguinis stipato remedium afferrem: causticum occipitio inuri & sub horam somni uncias aliquot tincturæ rosarum rubrarum in aqua frigida comparatæ cum spiritu sulphuris exhibendas præscripsi. Quod ità fœliciter cessit ut eadem nocte affectus contumax veluti miraculosè finem habuerit. Movetur quæstio inter Pharmacopæum & Chirurgum quonam remedio fugatus ille: stabat Pharmacopæus pro tinctura rosarum, Chirurgus pro cauterio: instabat Pharmacopæus dicens è cauterio pus nondum fluxisse: rem ad me deferunt: non inutilem refrigerando astringendóque ventri inferiori tincturam fuisse, sed curationis gloriam inustioni occipitij quæ ignem è ventre inferiore ad superiorem attraxerat, decernendum esse aio.

Lib. de Flat. Historiæ

Nepos Domini Regon Vicarij perpetui hujusce Vrbis sex aut septem annos natus, à longo tempore contumacem alvi fluxum patiebatur : rogat avunculus ut putidissimum ( aiebat ) infantem famulis omnibus hac sola de causa invisum, ab eo affectu liberarem : Idem remedium præscribo, nimirum inustionem occipitij , eademque nocte veluti miraculosè sanatus fuit.

Vxor Chirurgi hujusce Vrbis nomine Varenes viginti annos nata in dyssenteriam fluore sanguinis & torminibus ventris de more stipatam incidit , efferentéque se non solùm in alvum , pedes potissimùm & tibias, sed etiam reliqui corporis habitum tenui sero quod caput , ut par est , expurgare non poterat , in hydropem anasarcam incidit. Rogat maritus tantis affectibus remedium afferrem. Reiteratâ purgatione ad plures doses è mirobalanis , tamarindis , rhabarbaro, sale prunellæ, syrupo de floribus persicorum , venæsectione , enematis detergentibus , refrigerantibus , astringentibus , causticum bregmati , mox occipitio inurendum præscribo : nec

cessit affectio. Cervicis setonem his addi jubeo, mirum dictu: eodem ferè momento temporis, attracto ad cauteria igne, superior venter, idest, cerebrum ita incaluit, inferior ita refrigeratus fuit, ut fluxus alvi cessarit, contractisque ab humore in partibus inferis veluti concrescente, tibiis & cruribus convulsio minas injecerit; sed his humoribus à suo fonte putà cerebro attractis & observato naturalis circuitus ordine exteriùs propulsis hydrops sine aliis remediis prorsus evanuit, & ægra ab affectu contumaci, qui octo ferè mensium spatio medicamenta à me præscripta, exceptis inustionibus, eluserat, libera fuit.

Eandem medendi rationem bis adhuc expertus sum in Domina vidua Clarissimi quondam Doctoris Medici & concivis nomine Arnoux, quinquagenaria, sicciotis calidiorisque temperiei. Cùm enim diarrhœâ biliosâ ad dysenteriam vergente premeretur, multámque bilem cum sanguine aliquando, & ventris torminibus per secessum effunderet, nec remediis superiùs scriptis cedere vellet,

præſcripſi veſicatoria cervici & humeris imponenda eáque validiſſima, quibus attracto igne ſuperis partibus venter inferior ita refrigeratus fuit, ſuperior incaluit, ut eadem die inſolens alvi fluxus conquieverit.

Vidua etiam quædam Bolenenſis ſexagenaria nomine Raynaud, aliquot doſes pillularum purgantium è reſina jalapi & cæteris geſtabat; cùm verò incautè omnes ſimul devoraſſet, eadem die, hypercatharſim adeò crudelem & diuturnam incurrit, ut plus quingenties ex alvo varios humores ipſúmque ſanguinem depoſuerit, cum inſigni virium proſtratione & torminibus: Adminiſtrata omnis generis remedia, purgando roborantia, detergentia, adſtringentia tum interna, tum externa, vena brachij ſecta, laudanum Paracelſi ad plures doſes exhibitum: nec tamen affectio cedere viſa; niſi applicatis veſicatoriis cervici, quibus ignis cum ſanguine ad ſuperas corporis partes ita irrupit, ut venter refrigeratus fuerit, & fluxus conquieverit.

Reverendus Pater Joſephus Sanctſpiritenſis Capucinus diarrhœâ preme-

batur à ſex menſibus quam Tolonenſes & Aquiſextienſes Medici remediis ſuis expugnare non potuiſſe dixit; ad Cœnobium hujuſce Vrbis traducitur, ubi inuſta utraque parte colli ad ſecundam vertebram, refrigeratóque ventre, frigidioris aquæ matutinis horis ante omnia per aliquot dies hauſtæ potu, curatus fuit brevi tempore.

Quid plura: teſtari poſſum bona fide, multos pueros adultoſque diarrhœa laborantes ferè ineluctabili, admoto ad vertebras colli aut dorſi inter ſcapulas emplaſtro, è pice alba & pulvere ſinapi, aut ex fermento & ſinapi cum aceto, miraculosè veluti intra noctem, à me, Dei operâ, ad ſanitatem perductos, attracto ſuperis partibus calore nimio ventris, undè diarrhœa oriebatur, ut Hipp. docuit 3. de vict.rat. ut cæteras ægrorum qui à diarrhœa inuſtionum beneficio liberati ſunt, hiſtorias afferre ſuperſedeam.

Celſus eandem medendi rationem ſecutus eſt; Præſcribit enim ad lævitatem inteſtinorum, *ut ſuper pectus, ponatur ſinapi exulceratáque cute malagma quod humorem evocet.* Lib.4. ca.16

In curatione similiter fluxus alvi *vehementer omnia* ideſt, totum corpus *præter ventrem*, ut ex eo calor undè diarrhæa prodit, revellatur, *perfricare, ad ignem lumbos ſcapuláſque admovere* præſcribit eadem ratione.

Præter hoc remedij genus & intra illius uſum, quò venter inferior ulteriùs refrigeſcat, ſuperior caleat, præſcribere ſoleo cum fœlici ſucceſſu aliud quod eſt prorsùs contrarium, putà aquam infuſionis furfuris, proximitate nivis in vaſculo circumpoſitæ apprimè refrigeratam; non quidem in pauca quantitate: hæc enim ignis vires augeret in inteſtinis, undè diarrhæa inſoleſceret, ſed magna, quâ venter inferior ſummè refrigeſcat, & revulſo ad caput parteſque exteras calore ſuperior incaleſcat. Hinc enim affectio æmula ilei infertur & venter fluere deſinit.

Ejuſdem aquæ apprimè refrigeratæ uſum probavit Hipp. multis in locis,
5. E- præcipuè in hiſtoria *Ancillæ Oneſidemi*
pid. cholerâ interemptæ.

Lib. 4 Celſus idem remedium commendat
sa. 15 his verbis: *Si pluribus diebus nihil remedia alia juverint, vetuſque jam vi-*

*tium est, aqua benè frigida potio assumpta ulcera astringit & initium secundæ valetudinis facit.*

At quamvis hæc remedia, inustiones scilicet partium superiorum & aquæ frigidioris larga potio conveniant omnibus qui diarrhaâ conflictantur; dispari tamen modo pro naturarum ratione in usum veniunt; in his qui gracili sunt corporis habitu, quorum exterior proportione respondet hyemi, undè fit ut ad tuendum calorem naturalem ventriculi quo mutua frigidi & calidi despensatio servatur, magis edant quàm bibant, ut superiùs dictum fuit, inustiones partium superiorum præ cæteris prosunt, alliciendo ad eas calorem partium interiorum inferiorumque; unde fit ut venter inferior refrigescat, superior caleat, maximè si aquæ frigidioris potui indulgeant; quod ego experientiâ compertum habeo in ægris quorum historiæ superiùs fuerunt allatæ: Plurimi enim illorum habitu corporis erant gracili macilento, excarne. E contra qui obeso sunt externi corporis habitu qui proportione respondet æstati, unde ad servandam ventriculi & intestino-

rum frigiditatem mutuæ calidi frigidique dispensationi pernecessariam, magis bibunt, quàm edunt; frigidioris aquæ potus confert præ aliis, repulso ad partes externas supernasque calore, quo in ventrem æstuante diarrhœa producebatur, maximè si inustionibus earum alliciatur.

Quod spectat ad alias dysenterias: Hepatica, quæ hepate in atoniam deducto sanguis loturæ carnium persimilis ex alvo fertur, inustionibus, nî causæ ratione præcaveri non potest; Hæc enim si sit intemperies frigida aut venularum interceptio à crassis humoribus inducta, causticis ad tibiam dextram, crus aut juxta jecur inustis levari aut potiùs impediri poterit, ut dicetur agendo de morbis hepatis.

Melancholica vitio lienis humorem atrum non satis expurgantis inducta, causticis quæ in descriptione morborum lienis enarrabuntur, curari & præcaveri poterit.

Hæmatera quæ venæ sectione & tenui diæta magis eget quàm aliis remediis, præcaveri ex parte poterit, inustis ad varia loca partium superio-

rum cauteriis, quibus superflua undè sanguis luxuriat, à natura medicatrice igne adjutâ è corpore subducentur. Hinc visum à multitudine cauteriorum maximè in superis partibus corporis menses in fœminis non tam suppressos fuisse, quàm superfluorum expulsione prorsùs cessasse.

Inter morbos ani: Tenasmus qui ejusdem naturæ est ac dysenteria, & sola minoris, partisque affectæ ratione ab ea distat, iisdem inustionibus juvari poterit; hæmorrhoides si nimiùm fluant, & dolorem præ humorum acrimonia nimiùm inducant; lienis atrum sanguinem distribuentis ratio habeatur inustionibus inferiùs describendis. Tibiæ etiam sinistræ inustiones hæmorrhoidum cæcarum dolori apprimè inservient; ut & si ob duritiem alvi fluere videantur, illâ laxiore factâ. Zacut. prax. adm. lib. 3. obser. 82.

Morbi mesenterij, omenti, pancreatis, si inustionibus locus his esse debeat, iisdem ac morbi intestinorum præcavebuntur; præ cæteris autem obstructio mesenterij causticis ad ventrem vel ad tibias admotis, quibus

ſimul ad venas interceptas ignis influat & morbum reſeratis ductibus auferat.

## SECTIO IV.

### *De morbis lienis & hepatis.*

INtemperies lienis iiſdem inuſtionibus ac intemperies ventriculi præcaveri & curari debent : Calida, ſi nativa ſit & citra materiam à ſola ignis interiùs devoluti gravitate, ſupernis; frigida, infernis; maximè ſi tumoribus vel flatulentis, aut à pituita, bile utraque in œdema, eryſipelas aut in ſcirrhum deductis conjungatur. Idem agendum ſi inflammationis acutæ quæ convulſis interceptiſque ab atro humore venis retentóque igne præ anguſtia enaſcitur, comes ſit. Harum enim occaſione dum ignis è ſuperis locis evocabitur ad infernas, humorem vel venis affixum, vel parti congeſtum ſolvet, & obſervato naturalis circuitus ordine, è corpore ſubducet.

Hoc ex professo docuit Hipp. in curatione tumorum lienis quos describit *lib. de inter. affect.* ubi si æger remediis, quæ ad eorum curationem præscribit, sanitatem consequi non possit, utque ait: *Ac ne si his quidem*, putà remediis suprascriptis, *meliusculè habeat, lienem per fungos cum maximè tumidus & sublatus fuerit, decem crustis inurito*, quo ignis è reliquo corpore ad illum attrahatur. *Si enim ut convenit, ustio successerit*, subductis à natura igne adjuta humorum morbos committentium reliquiis *sanum reddes, non tamen brevi.* Repetit in eodem libro & in descriptione cæterorum tumorum lienis, & Zacutus in lienis scirrho expertum se esse ait. Lib. de inter affect. Prax. adm. lib. 2. obser. 50.

Idem agendum ut symptomata morborum lienis sequacia præcaveantur, maximè seri indebita expurgatio, ne illud ad cerebrum præ natura congenere deferatur. Indè pluries dictum: lienem minùs teretem & tenuem esse, ideft, tenuiorem sanguinem & ichòr minùs subducere his quibus præ visceris frigiditate ad cerebrum fertur, & ex eo coryzam sive gravedinem parit. Dolor soboles flatuum aut

humorum præternaturam, iisdem inustionibus eadem de causa levari poterit.

Lib. 4 cap. 9 Celsus idem remedium affert ad morbos lienis: *Imponenda extrinsecùs quæ levent, fit ex sinapi cui sevi hircini è renibus quarta pars ponderis adijcitur teriturque in sole.*

Hepatis intemperies eadem inustionum methodo sanari debent modò naturæ sint, & à solo ignis defectu aut copiâ sine humore procedant. Quòd si tumoribus conjungantur, vel à flatu concitatis, vel à bile, pituita aut atra bile in erysipelas, œdema aut scirrhum effusis, aut interceptis à crasso humore venulis, retento igne incendium accersatur & dolor nō sublimis, qui eodem succo cum cæteris in substantiam diffuso confluat in tuberculum; hypochondrium cui hepar substernitur multis ulceribus iisque parvis erodendum aut crus vel tibia è directo respondens, ut attracto ad hepar igne non secus ac à febre humor superfluus morbíque causa exteriùs propellatur. Jndè Hipp.
7. Aphor. 52. ait: *Quibus jecur vehementer dolet*, idest, dolore non sublimi inflammationis

acutæ ab interceptis venis oriundæ filio, *iis febris superveniens dolorem*, ideſt, inflammationem *solvit*, fuſione craſſi humoris, undè venarum interceptio doloris parens enaſcitur, quâ ceſſante dolor remittit.

Eorum tumorum curationem inuſtionum beneficio factam deſcripſit Hipp. in enarratione morborum hepatis, ubi ſic effatur: *Morbus hepaticus &c. At ſi ne hic quidem ſedetur, cum hepar plurimùm intumuerit*, humoribus in eo retentis *maximéque prominuerit inurere oportet*, hoc eſt, hypochondrium illi reſpondens multis ulceribus incendendum, quo natura igne adjuta valido humorem affixum poſſit expellere. *Per buxeos autem fuſos oleo ferventi intinctos uſtionem facito, eoſque donec rectè habuerit, uſtioque perfecta fuerit, admoveto. Aut per fungos octo cruſtas inurito. Si enim uſtio ſucceſſerit, ſanum reddes, ac deinceps faciliùs deget. At ſi uſtio minimè ſucceſſerit, de cætero niſi per alia remedia convaleſcat, conſumptus perit.*

Lib. de inter. affect.

Lib. de inter affect.

Repetit in alio morbo hepatico, putà inflammatione acuta quæ ſuperio-

rem interiorémque partem attingit, unde phrenitis concitatur, tracto in consensum diaphragmate. *Huic enim* (ait) *eadem que prioribus admovere oportet.* Vide caput de Plevritide.

His inustionibus, venæ sectione præ cæteris, aliisque remediis, si tumor hepatis resolvi non possit, nec indurescat, in pus convertitur, quod vel per vesicam, vel per alvum cum excrementis humidis aut siccis, vel per vomitum cum chylo aut cibis expurgatur: Quòd si bilis & sanguinis permixtione limosum, amurcam referat, ægri pereunt, quia in ipsa visceris substantia pus continetur; si album, salvantur; quia in membrana externa.
7. Aphor. 45. Hoc docuit Hipp. his verbis: *Quibus purulentum jecur aduritur, si pus purum effluat & album, salvi fiunt; in tunica enim pus continetur: si verò qualis amurca profluat, intereunt* ideſt, quibus hepar interceptis à pituita & à bile
7. A ph. 52 illius venulis retento igne *vehementer*
7. A ph 6. *dolet*, ut ait, ideſt, dolore eximio & *non sublimi*, conflictatur, id eſt, inflammationem concipit, & aduritur, si humores prædicti validæ febris beneficio, aut *venæsectione* brachij &

malleoli dextri quæ *anemiem solvit*, aut aliis remediis non subducantur, unde affectio cesset; sed hi cum sanguine in partis substantiam effusi tumorem *doloremque sublimem* inferant, & ab eo in pus vertantur, si album maximè per vesicam cum urina subducatur, ægri salvantur, sui verò bilis & sanguinis permixtione limosum ex alvo prodeat, ad instar amurcæ olei, pereunt. In priore casu, quia tumor externam visceris membranam invasit, in altero, quia substantiam ipsam, unde atonia, prostratóque crebris subductionibus alvi nativo robore, mors necessariò sequitur. 2. Epid.

Non me latet tumorem hepatis ita aliquando vergere ad extremam superficiem, ut ipsum etiam abdomen premat, si in affectionis suæ consensum non trahat, in quo casu locus esse potest, non apertioni solùm abdominis, sed tumoris in hepate situm habentis. Nominis mei Cognatus è catarrho in jecoris inflammationem nuper incidit, cum tumore dextri hypochondrij, fluxu alvi cruento & doloroso; Internam externámque superficiem premebat.

tumor & in iis ſuppurationem accivit, in interna, limoſis excrementis ſanguine, bile & pure amurcam olei referentibus; in externa, pure laudabili, quod cauſtico admoto & partis apertione ſub dextro hypochondrio, ſcapello inſtituta ſe prodit, conſpicuam; nec tamen æger à morte vindicatus; Proſtratis enim ſubductionum frequentium & limoſarum maleficio viribus, trigeſimo die affectûs exceſſit è vivis.

Eundem caſum notavit Hipp. (licèt mentionem non faciat apertionis
7. Epid. tumorum (*in Cleotimo ſutore cui cum alvus multo tempore fuſa eſſet & calor exortus fuiſſet, circa jecoris regionem tumor tuberculo ſimilis enatus eſt ad imum ventrem deſcendens, & alvus fluida erat, cique alterum tuberculum juxta jecur, ſupra ad præcordia obortum exitum attulit.*

Aliquando pus ruptâ exteriore membranâ jecoris in abdominis cavitatem effunditur, apertione illius paulò ſub inguine facta extrahendum. Sed ægrum ſinere mori, ſatius aliquando eſt quàm occidere.

Celſus eandem curandi rationem

vomicæ hepatis, apertione vel ustione abdominis facta (de qua alij Autores præ cæteris, recitasse videtur ad mentem illorum his verbis: *Si verò jecur vomica laborat, eadem facienda quæ in cæteris interioribus suppurationibus. Quidam etiam ultra id scapello aperiunt ipsam tunicam vel adurunt.* Lib. 4 cap. 8

Obstructiones à crassis humoribus venas hepatis infarcientibus, iisdem inustionibus partium inferiorum hepati respondentium curari debent, attracto ad partem obstructam earum beneficio igne. Idem agendum pro vesicula fellis, si bilis ad eam, ut par est, confluere nequeat, cùm id vitium ab eadem causa procedat.

Obstructioni vasorum hepatis contraria est nimia eorumdem apertio, quâ sanguis variis causis effunditur in intestina. Quòd si inustionibus res esse possit, superis partibus instituendæ, quò sanguis *qui ad maximè calidas partes concurrit* ex inferis refrigescentibus ad superas incalescentes revellatur & fluere desinat. Lib. de Flat.

Quamvis symptomata morborum hepati sequacia quatuor sint, præcipuè hepatitis, cachexia, hydrops,

icterus : attamen hepatitis, ideſt, atonia & imbecillitas quâ ob læſam ſanguificationem humor ſeroſus & tenuis corpori nutriendo inutilis ad inſtar loturæ carnium per inferiorem ventrem excernitur, proprium eſt ſymptoma hepatis, cæteris non modo à prædictæ partis, ſed etiam à lienis & meſenterij affectione originem ſuam ducentibus.

Generatur ſolùm ab inſigni intemperie hepatis, aut à quovis alio affectu, ſed etiam à morbis ventriculum, inteſtina gracilia, omentum, meſenterium, lienem obſidentibus. Hiſce enim chylus corrumpitur & faceſſit in tenuem ſanguinem in hepate; unde aonia concitatur; quæ an inuſtionibus & quanam ratione curari debeat, ſuperiùs dictum agendo de diarrhœa.

Cachexia licèt plerumque ſit aliud hepatis ſymptoma : generatur etiam affectis præternaturam liene, cerebro, cotde, ventriculo. Cùm enim ſit malus corporis habitus quo color ex albo vireſcit, livet, flaveſcit, tumet, plumbeus fit, laxus, maximè juxta oculos, faciem & pedes à prava nutritione ducens originem, & prædictæ partes

ad nutritionem sunt apprimè necessariæ, difficile est, quin si hæ labem aliquando insignem suscipiant, universo corpori non communicent & cachexiam inducant. Si ergo ventriculus qui magnus est omnium fons, illos præ morbis gravioribus aut propriis, aut intestinorum, omenti, mesenterij, quibus consentire solet utplurimùm, ut par est non progeneret, cùm primæ coctionis vitia non corrigantur in secunda; ex pravo chylo, pravus sanguis, & à pravo sanguine prava nutritio fit, & à nutritione, totius & partium moles cachectica, & ab ea, fraude genij, tabes erumpit quam nos cachexiam quæ ducit ad tabem nominavimus. Idem accidit, si hepar, lien utramque bilem quarum sunt fontes partibus non ritè distribuant, & si cor præ imbecillitate necessarium ignem partibus non subministret; Cachexia enim indè prodit, qua pars aut totum à naturali colore deflectant, tument, hydropem incurrunt.

Has species cachexiæ quas *crassi morbi* nomine pinxit Hipp. aliis etiam exaravit. Eam quæ ex affectionibus Lib. de nat. affect.

ventriculi & priorum inteſtinorum maximè ilei & partium conſentientium originem ducit, ſcripta eſt nomine *ilei & convolvuli*; alius autem pituitoſus qui hyeme, alius bilioſus, qui æſtate; ultimus melancholicus & ſanguineus qui autumno præ cæteris invadit; dum *fieri non poteſt, ut humana natura univerſi vim ſuperet.*

2. Epid.

Cachexia quæ privatorum fontium vitio erumpit, eadem eſt ac quæ vitio ventriculi; bilioſa, quæ affecto hepate contingit; pituitoſa, quæ cerebro ægrotante; melancholica quæ lienis humorem atrum non ſatis expurgantis debilitatem ſequitur.

Vt ergo inuſtiones fontium in vitio exiſtentium habita ratione præſcribi debent, ut dictum anteriùs ex lib. de flat. quibus inducto robore peculiaris humor cujus diſtributioni natura præpoſuit, ut par eſt expurgari poſſit; ſi cachexia publici fontis, putà ventriculi & partium vicinarum maleficio congeratur, agendæ ſunt tibiis aut abdomini; ſi privatorum, bilioſa, hepatis, regioni huic reſpondenti, cruri dextro, aut tibiæ; Melancholica, lienis, regioni corporis

quæ

quæ illi similiter respondet; cruri sinistro aut tibiæ; ad pituitosam quæ à cerebri intemperie prodit, juxta caput & collum; ut ad primam mali causam causæ occasionem & primordia res deducatur.

Idem censendum de ictero, qui, cùm color sit totius corporis mutatus in flavum, nigrum, album & mixtos, à cachexia vix differt, ac proindè triplex est, pro ratione trium fontium privatorum, quibus humores privati per corpus distribuuntur, flavus, vitio hepatis; niger lienis; albus, cerebri oriundus. Quod si ad veritatis hujusce confirmationem, putà quod icterus albus vitio cerebri contingat, experientiam consulere liceat, exemplum erit ægrotans superiùs scripta agendo de intemperie frigida cerebri, quæ antequam morbus in parte ipsa corporis, idest, in cerebro ipso firmaretur, ictero albo & tantisper ob iuvenilem ætatem ad flavum vergente ita laboraverit, ut sola febre valida malignáque incenso ad delirium usque cerebro & reliquo corpore, levari potuerit. Cùm autem superatâ febre viro juncta fuisset, edidisset- Historia

que fœtum masculum cujus gestatione adhuc incaluerat, cerebro post partum, in graviorem, aquarum incalescentium more frigiditatem perducto, somnus ferè inexpugnabilis invasit, quem solis inustionibus capitis per longum tempus gestatis differre, auferre prorsùs non licuit. Cùm enim æstate media ægram demum insiliisset, è vivis abstulit, ut dictum superiùs.

Cùm ergo icterus habitâ causarum ratione inustionibus levari solummodò possit, si vitio hepatis concitetur, inustiones agendæ sub eam corporis partem, aut illi respondentem, ut crus dextrum vel tibiam; si lienis, ejusdem loci, cruris sinistri aut tibiæ inustionibus consulendum; si vitio cerebri, inustiones superiorum partium, capitis, colli & brachiorum præscribi debent; ut & si à mero hepatis incendio diffundatur. Quòd si criticus sit, ut accidit in morbis malignis præcipuè, curari non debet, nisi sublatione morbi quem ille solvere potest, modò vel non merus sit flavámque bilem maligno humore interiùs recrudescente exteriùs effun-

dat, quod periculoſum eſt admodum. ut *Hermocrati & Phanagoræ*, ut dicetur agendo de febribus malignis. Vide caput de morbis faciei. 3. 1. Epid.

Hydrops ultimum ſymptoma, eſt tumor univerſi corporis aut ventris à ſero, aut flatu in capacitatem illius effuſo : Prior Anaſarca, ſarcites & ὑποσαρκίδιος nominatur ; ſecundus, aſcites ; ultimus, tympanites.

Horum cauſa non ſolùm in hepate, ſed in liene & cerebro quærenda eſt. Vt enim ſi hepar imbecillitatem contrahat, aquoſum ſanguinem parit, quo in ſerum verſo, & in univerſum corporis habitum frigida intemperie laborantem effuſo, aut in ventrem deciduo anaſarca & aſcites, aut excitato è prædicti humoris colluvie à calore debili flatu plurimo, & in abdominis cavitate retento, tympanites ducit originem ; ſic ſi pituita è cerebro ſeu fonte non ſatis expurgetur, naturalis circuitûs ordine, & in univerſum corporis habitum aut ventrem diffundatur, concepta tenuitate & ichoroide natura, prædicta ſymptomata procreat. Si lien, qui ſeri,

hoc eſt, humoris melancholici fons eſt, ſuo officio non ſatis fungatur, ſerum coacervatur in venis, è quibus ſi in habitum corporis aut ventrem labi contigerit, aut in flatus præ caloris tenuitate erumpere, prædicta ſymptomata ducunt originem. Indè Hipp. duplicem hydropis generationem facit, quorum alius oritur ab hepate; alius verò, ab ilibus & laterum mollitudine, ob effuſos è ſuperis locis, hepate ſæpiùs intacto, humores à quibus infertur.

Vt autem varias enarrationes hydropis qui vitio lienis & hepatis producuntur, quas Hipp. pluribus in locis ſcripſit, ſilentio prætercam; hydropem enatum vitio cerebri fluxionem plurimam in partes inferas, thoracem & ventrem demittentis enarrat his verbis: *Quod ſi fluxio retro in*
Lib. de loc. in hom. *vertebras & carnes defluxerit, aqua inter cutem ſuboritur. Indè verò cognoſcas licet, quod anteriores partes ſiccæ ſunt, caput ſcilicet, nares & oculi. Quin & oculorum caligo accedit, & unà cum reliquo corpore ex virore palleſcunt, neque quicquam expuitur, ne ſi multum quidem defluat, fluxio enim per mediam*

*carnem posteriore parte delapsa, ab anteriore aversa, anteriores partes siccas reddit, carnemque in posteriora irrigat, eamque magis qua ad interiora est ad ventrem, quàm qua ad exteriora, ad nates. Eamque ob causam corpus exteriore parte magis quàm interiore solidum existit & foramina habet angustiora, quæ cum tenuia sint, constipantur, ipsaque sibi ipsis medentur, nulláque hac parte fluxio ferri potest. Intra autem cum latiora sint, tum intermedia tenuiora habent. Fluxio verò cum ex altioribus delabatur & tenuia contra se objecta habeat, defluit & carnes humiditate replet. Quin & humiditas quæ ex cibis eodem defertur, corrumpitur; ipsaque ex commixtione corrupta, & quod cum ea ex capite defluit, corpus nutriunt. Plurimo verò humore carnes nutritæ & morboso turgidæ aqua inter cutem replentur.* Idest, si cerebrum præ caloris debilitate pituitam cujus est fons, non satis distribuat corpori & expurget è sua substantia, hæc sensim coacervata, nec satis difflata incalescit, attenuatur, & bilis veluti naturam induit. Vt autem varias corporis partes insiliens, varios affectus inducit, pulmonibus

ulcera, inteſtinis volvulum, oculis ophthalmiam & cæteros; ſi in ſubſtantiam poſterioris corporis quod majore carnis venarúmque mole contexitur & humidius eſt, effundatur, nimia replet humiditate, exſiccatis anterioribus. Humiditas nutritionem quæ per venas fertur in cutem, corrumpit & ingens ex utriuſque humoris permixtione cacochymia generatur, qua ſeri naturam adipiſcente ſi prædictæ partes nutriantur & tumeant, incurrunt aquam intercutem, anaſarcam quidem ſi humor ſiſtatur in externi corporis habitu; aſcitem, ſi in ventris capacitatem ſuperis corporis partibus gracilitatem induentibus effundatur.

Licèt ergo ulcera in hydropicis vix ſaneſcant, ſi à morbi magnitudine fiant, ut Hipp. narrat contigiſſe,
2. Epid. *Aleva, Antilocho, Serapi, quæ ex abſceſſu in lateris inanitate orto & nigrefacto*
7. Epid. *mortua eſt, Bioni, qui abſceſſu ad genu ſiniſtrum obotro ſuppuratione facta mortuus eſt, Cteſiphonti qui cum poſt magnam febrem ardentem aqua intercutem correptus eſſet, ad femur dextrum parte interna juxta venam mediam quæ ab-*

*inguine fertur, collectio velut ex igne agreſti oborta eſt, cum rubore aliquantulum livido & mortuus eſt*, magis quàm à natura oppreſſa quidem, ſed adhuc medicatrice, producantur: in quo caſu hydropem auferunt, ut ego ſæpiùs obſervavi in Xenodochio noſtro & aliis in locis, maximè in Lictore quodam nomine Chambon, quem toto corpore hydropicum ulcera in tibiis per morbum excitata liberarunt: atſamen ſi concitentur capiti & collo, ut adaucto cerebri pituitam non ſatis expurgantis robore primæ mali cauſæ, occaſioni & primordiis ut decet, conſulatur; mox partibus inferis, putà lieni, hepati, ſi ab iis ducat originem, dubium non eſt quin affectio, aliis remediis ferè immedicabilis curari poſſit.

Hoc docuit Hipp. & primò quod inuſtiones agendæ ſint ſuperis locis in eo hydrope qui è cerebro originem ducit, his verbis: *Cum autem in carnem poſteriore parte juxta vertebras illapſa fluxio aquam intercutem excitarit, hunc in modum curato. Cervicis carnem quæ eſt in medio venarum tribus cruſtis inurito, inuſtum conſtringito, & quàm* Lib. de loc. in hom.

*tenuissimas cicatrices facito ; & ubi viam intercluseris , medicamentum ad nares admoveto , ut eò divertatur , & imbecillum donec aliò avertatur.*

Ex eo autem quod juxta hepar admovenda sint caustica in eo affectu qui hujus partis vitio concitatur, sic
Lib. de inter. affect effatur Hipp. *Aqua intercus ex hepate* &c. *At si quidem ex his* , ideft , remediis in textu scriptis , *sedetur, satis est; sin minus , ubi certè crassissimus evaserit & hepar maximum , fungis inurito.* Ideft , partem exteriorem huic visceri respondentem , calentibus fungis exurito , quo ulcerum occasione attracto igne pars prædicta necessarium expurgandis aquis & perficiendo sanguini robur obtineat , *sic enim citissimè sanum reddideris. Octo autem crustis inurere oportet*

Ex eo etiam quòd si hydrops à liene proficiscatur ; pars cui lien substernitur simili modo sit inurenda , sic
Ibid. effatur Hipp. *Aqua intercus ex liene* &c. *quod si quidem ex his* , putà remediis in textu scriptis , *restituatur , satis est , sin minùs ubi lien magnus fuerit , & maximè intumuerit , capitibus apprehensis, fungis inurito aut ferramentis,*

*multa cautione adhibita ne ulterius perurat.*

Quòd etiam in hydrope aliquando scrotum & aliæ partes inferæ si intumescant, exulcerandæ aperiendæque sint, quo liberior aquis stagnantibus via fieri possit, sic effatur postquam pituitæ albæ: quæ cachexiæ hydropi proximæ species est, transitum descripsit in hydropem. *Quod si in scroto & femoribus & tibiis tumor laxus enatus fuerit, peracuto scalpello multis & crebris ulcusculis pertundito, quæ ubi feceris, citò sanum reddes.*

Celsus idem remedium proponit his verbis: *Imponendum verò in ventrem crebrius sinapi donec cutem erodat, ferramentisque candentibus pluribus locis venter exulcerandus est, & servanda ulcera diutius.* Lib. ca. 2.

Zacutus duos hydropicos sanatos vidisse refert scarificato scroto & aquis ex eo subductis, alium fonticulo in eadem parte aperto. O Prax. ad. 5 & 59.

Jnustiones partium suprascriptarum enarravit Hipp. his verbis: *Aqua intercutem laborantes citò incidere oportet, tabescentes confestim urere, caput secare,* Jdest, hydrope ascite laborantes ci- 7. Epid. 7. 8.

tò incidere, ideſt, ante corruptionem ſeri ventrem implentis abdomen & partes inferas aperire oportet, aut ſi affectio è cerebro humentiore trahat originem, ita ut partes ſuperæ contabeſcant, dum inferæ intumeſcunt, antequam affectio viſceribus corruptionem intulerit, urere & caput ſecare, ideſt, cauteria capiti, cervici, collo ſunt inurenda, ſcarificationes agendæ, quo cerebrum igne plurimo donatum copiam ſeri quod ex eo in ventrem habitúmque corporis per carnes poſteriores refunditur, obſervato naturalis circuitûs ordine, per alvum & veſicam, expurgetur, nec hydrops inſanabilis fiat.

5. Epid. Jndè etiam ad curationem hydropis non ſolùm corpus exercere, ſudores movere, pane calido oleo intincto aut potu uti, vinum album & tenue bibere, ſomnúmque præſcribit, quo ſucci qui univerſum corporis habitum, aut partem illius in grandiorem molem attollunt, tracti ad interiora corporis ſudoribus & perſpirriâ exteriùs propulſentur, ſed *caput tepida lavare* præſcribit, ut allecto in cerebrum pituitæ fontem na-

tivo igne, primæ mali cauſæ, hujus occaſioni & primordiis, ut decet, conſulatur.

Hipp. ſic etiam effatur: *Locis ſuperioribus qui ad caput ſunt, ad humorum excretionem turgentibus & ſua ſponte motis, ulcerum purgatio, vomitus & hydrops conferunt.* Ideſt, ſi partes ſuperiores corporis, maximè cerebrum quod pituitæ fons eſt, nimio humoris augmento luxuriet, unde ſæpiùs in partes inferas magno illarum detrimento ſuperfluos humores refundat, huic malo auxiliantur: primùm: *ulcerum purgatio*, ideſt, cauteria juxta caput, brachia, collum, cervicem inuſta, unde ulcerum diuturna purgatio fieri ſolet; Cùm enim nimia humoris ſaburra congeratur in ea parte corporis, ob defectum caloris, qui humorem cujus cerebrum fons eſt; ſervato naturalis circuitûs ordine, in alvum & veſicam repurgare non poteſt; cauſtico juxta partem prædictam inuſto, calor nativus è corde in eam ita ſollicitatur, ut neceſſarium robur inferat, parſque validior facta non ampliùs humores in loca inferiora confluere permittat, ſed debito cir-

2. Epid.

cuitûs ordine per alvum & veſicam expellat. Secundum: *vomitus* prædictam humorum luxuriem etiam auffert, quia ut venter à quo vomitus fit, omnibus partibus dat cùm plenus eſt, tamquam magnus humorum omnium fons & principium; ſic ab omnibus accipit tamquam finis: Tertium *hydrops* quem Foëſius non rectè ſudorem expoſuit, idem præſtat, non tamen univerſi corporis quod ſæpiùs à ſero quod è capite per poſterioris corporis partes proficiſcitur, originem ducit, ſed hydrops quem vocant ad matulam, ideſt, ingens urinæ profluvium, quod totam humoris camarinam abſorbet.

Hiſtoriæ de morb. Quòd ſi experientiis à me factis rem decernere concedatur: bona fide poſſum teſtari multos favente Deo ope mea ab hydrope univerſi corporis, ventris & uteri liberatos fuiſſe, ſed præcipuè inuſtionum capitis adjuvamento. Cùm enim caput *fons* ſit corporis *grandior* cæteris, tantam præ languore & frigiditate pituitoſi & ſeroſi humoris copiam congerit, ut ſi primaria labis hujuſce cauſa non ſit, quod aliquando innoteſcit alvi fluxu diuturno qui nec ventrem, nec

reliqui corporis molem imminuit, ad gravitatem illius non parum confert. Hac arte vxor Chirurgi supracitati in capite dysenteriæ ab hydrope alias ineluctabili libera fuit; Monialis etiam quædam nomine Sanctæ Marthæ, quæ cùm ab eo affectu causticis bregmati & occipitio inustis sanari non potuisset, invalescente tandem post setonis colli inustionem, capite, à morte vindicata fuit, ut cæteros hic afferre supersedeam.

Jllustrissimus Vir D. Comes du Roure Regiorum Ordinum Torquatus Eques, senior Proregum Occitaniæ & Vrbis Arcisque nostræ Præfectus Regius, hydrope sæpiùs recurrente laboravit & tandem periit. Colore autem vultûs ita erat veluti cadaveroso, ut Medicorum plerique vix cum præfatione remedia scriberent. Interea affectio curabilis erat & potissimam sui causam habebat in cerebro quod serosum humorem læso naturalis circuitûs ordine partibus inferis exterisque stagnare patiebatur. Hepar molle erat contactui, & ex urinarum integritate satis laudabile mihi visum. Incidit autem in febrem quar-

tanam quam secutus est nimia pallescentis corporis moles, tibiarum maximè & pedum; Cùm autem liber esset à febre, Medentes consuluit ut à tumore liberaretur: præscriptus est, lactis vaccini usus, ægrè ferente quodam inter illos, timido ne in febrem quartanam relaberetur; quod citiùs evenit. Perseveravit in usu lactis, quo febris ingravescebat, unà cum mole corporis, venitque ad nos ut Serenissimum Principem Vernolium Occitaniæ Præfectum Regium exciperet. Quærit à me liberari (si possem) à tantis affectibus: Primùm autem omnium præscripsi ut abstineret à lacte; quod licet difficilè consilij cujusdam Parisiensis veluti religione (ut aiebat) summo sui levamento est executus. Paucis enim à purgatione sumptóque infuso China. Chinæ ex vino albo (licet quidam hoc remedij genus quartanâ hydropi junctâ laborantibus præscribendum non esse velint,) à febre prorsùs immunis fuit. Mox præscripsi remedia hydragoga, quibus ingens humoris à febre prægressa attenuati & fluxilis copia tunc temporis ex alvo non solùm fuit excreta,

ſed à natura ſingulis matutinis horis extra purgationum dies. Hac enim levata ſarcinæ parte, & igne poſt mediam noctem ad exteras ſuperáſque corporis partes Megalocoſmici ſolis inſtar ad cœlum noſtrum ſcandente adjuta, quod reliquum erat expellere moliebatur: Inde ait Hipp. *Hydrope detentis ſi aqua è venis*, ideſt, è corporis ſubſtantia in qua reſtagnat, vel è ventre per venas in quas caloris ope interdormiendum attrahitur, *in ventrem*, ideſt, in alvum *confluxerit*, *ſolvitur morbus*. Hinc corpus detumuit exceptis claviculis pedum, quas tamen exſiccari non tam fuiſſet arduum, ſi remediis ut par erat obtemperaſſet; Receſſit autem in Caſtella ſua Barjacij, Chauſſij & Vanni, ubi variis erroribus vitæ corpus denuò intumuit, ſpiratio cum febre difficilis fuit. Timidus ille de pulmonis inflammatione ſanguinem mittendum jubet, reluctante non parum Vanni Medico & me protinùs accerſit. Accurro quàm citiùs & venam iterum ſecari præſcribo, tum purgantia hydragoga, quibus ingens copia ſeri eductà fuit; Atqùm reliquias à calore febris attenua-

6. Aph. 14.

tas leni diuretico per urinam educi posse animadvertissem, juscula optimè nutrientia rasurâ eboris, foliis
7. Epid. 3. endiviæ & *capillorum veneris* alterata exhibui more Hipp. aliàs *Chariti*, quibus tam grave profluvium urinæ successit, ut spatio quinque noctium plus quinquaginta libras aquæ limpidioris excreverit, sicceſſente ut par fuerat, corpore. Perseveravit hic fluxus per quoddam tempus & superfluum humorem ita subduxit; ut toto corporis habitu, pedibus etiam quos graves madidosque gestabat à longo tempore, levior sicciórque permanserit. Hoc facto hepar ipsius salvum, primam tam diuturnæ labis causam in cerebro sitam esse, geminisque cauteriis ad collum inustis ab eo præservari posse aperui: noluit ille putido (ut aiebat) remedio se committere, fortassis ex eo quod pedum tumorem colli ulceribus sanari posse iniquum esse existimaret. Cùm autem Parisiis degeret, implevissetque se per hyemem decocto radicis salsæparellæ, extincto à copia aquæ haustа simul cum aëre hyberno & ambientis frigiditate nativo igne, me absente,

è vivis excessit, apertóque cadavere, hepar salvum inventum fuisse, relatum fuit. Dum hæc scriberem obtulit se mihi casus singularis quo superiùs dicta de hydrope, nimirum causam illius in cerebri labe sæpissimè quærendam esse, & inustionibus partium superiorum curari & præcaveri posse non parum confirmabit. Civis quidam hujusce Vrbis nomine de Froment vocavit me in curationem nati sui quatuordecim annorum quem adduxerat è Turnone ubi studiis navabat operam in Collegio Societatis Iesu. Laboraverat febre continua periodica, & ut crediderim, malignantis naturæ, cui ab instituta purgatione ante diem decimum quartum, bile fortassis intempestivè subducta, coma supervenit, à pituita in cerebro ad bilis exhaustum ingravescente. In tantis angustiis, præter alia, cauterium ignitum occipiti fuit impositum, applicata internæ parti tibiarum vesicatoria, pulvis cephalicus roborans capiti sinapizandus similiter præscriptus fuit, sed nescio quo omine dum Chirurgus pulverem cephalicum tonso capiti inspergere se putat, pulverem

cantharidum pro veſicantibus comparatum inſcienter ſubſtituit, undè caput unà cum fronte veſiculis ſero ſtagnantibus, mirè intumuit, non ſine oculorum diſcrimine. Paucis ad nos deducto, ulcera ſpatio temporis ſiccata ſunt, purgatio inſtituta. Attamen refrigeſcente ſenſim interiùs corpore ob defectum caloris cerebri qui comati remedio fuerat, hydrops univerſi corporis, maximè ventris, in promptu fuit, adminiſtrata hydragoga, quibus moles corporis præterquam abdominis vix detumuerat, cùm tuſſis valida & ſicca ægrum concuſſit, irrumpente, ut putaverim, ſero in partes
7. Aphor. 47. ſpiritales, quibus oppreſſis, æger ſub defectum lunæ paucis ſublatus fuit. Indè rectè ſcripſit Hipp. *hydropicum ſi tuſſis habeat, deſperatus eſt.*

His addere non erit inutile, ulcera in partibus infernis hydropicorum, maximè ſcroto, tibiis & pedibus non facilè concitanda. Sæpiùs enim proſtrato igne nativo à copia humoris, maximè ſi viſcera atoniam incurrant, gangrænam concipiunt, quâ altiùs ſerpente ægri tolluntur è medio; quod frequenter eveniſſe experientiâ com-

peri in iis etiam qui citra inuſtiones 2.
ulcera contraxerunt à ſuccis acribus 7. E-
ut in *Serapi*, *Bione*, *Cteſiphonte* nota- pid.
tum eſt, attritione partium linteis ru-
dioribus vel aliis corporibus inductâ
vel acrimoniâ earumdem, præ mole
& tumore veluti cohærentium. Qui-
dam hydropicus juvenis & robuſtus
cujus curationem ſuſceperam in Xe-
nodochio noſtro, attritis exulceratiſ-
que ſcroto & teſticulis ita crudelem
gangrænam concepit, ut nullis reme-
diis aufferri potuerit, ſed hac ad ſu-
peras partes viam agente & pudendo
prorsùs corrupto mors invaſerit. Im-
ponenda aliàs præſcripſi media hyeme:
eáque graviſſimâ Moniali cuidam no-
mine Matris Dei, provectæ ætatis,
aſthmate & hydrope laboranti duo
veſicatoria internæ externæque parti
cujuſvis tibiæ: ingens aquæ copia
ex ulceribus fluxit, ſed quia eorum
curationi multùm obſtitit, pœnituit
me hujus remedij: Ulcera decoctis
vulnerariis & præcipuè aquâ planta-
ginis cum ſacharo ſaturni per longum
tempus abluta ſunt, ſiccata tandem
prorsùs: Nec tamen ægra ſanitatem
eſt aſſecuta, ſed aquis in caput ſeu

fontem præ valido animi pathemate & tristitiæ sensu imbecillum sese efferentibus in apoplexiam, eáque soluta, in hemiplexiam incidit, quâ pro-
7. Epid. strato robore è vivis excessit, ut Hipp. narrat evenisse *cuidam hydropico Olinthi qui derepente voce defectus & per diem & noctem mente captus mortuus est*, irrumpente affatim parte seri undè hydrops oriebatur, juxta arterias nervos septimi paris igne nativo perfundentes & in venas anterioris cerebri, undè factum est ut qui priùs voce defecerat, ea soluta per causæ morbificæ sublationem ex arteriis anteà scriptis, superstite venarum interceptione, unde, retento igne, delirium enascebatur, mente captus è vivis excesserit. Eundem casum notavi in hydropico hujusce Urbis nomine Nadal, cujus aquas cum infimi nominis Circulator valido purgante partim subduxisset, partim egisset in furias, his in caput pituitæ fontem irruentibus deliravit, obmutuit, periit.

## SECTIO V.

### *De morbis renum, ureterum, vesicæ.*

RENes *coxis insidentes, adipe circumdati & ab urinarum excretione non alieni*, suas intemperies sustinent, quæ si nativæ sint & à mera ignis copia aut debilitate originem ducant, iisdem inustionibus ac intemperies intestinorum curari debent; calida, supernis; frigida infernis & juxta partes admotis Si humorum & tumorum sint comites aut doloris eximij & non sublimis, quem interceptio vasorum à crasso humore facta parturit, causticis ad partes infernas & juxta renes appositis, quibus ignis nativus trahatur ad partem vel intumescentem vel interceptam, & humores vel effusos, vel venis affixos, observato naturalis circuitûs ordine, è corpore demat. De-mocr epist. ad Hipp

Idem agendum si angustiâ laborent interceptis ab humore crasso vasis

ureticis, undè urina ſupprimatur. Attracto enim igne, humor tenuis ſimul attrahitur qui denuò miſcetur cum craſſo à ſocij compage ſoluto, eum temperat, & recludit interceptionem qua ceſſante uterque poſt adeptam fluxilitatem per corpus ut par eſt diſtribuitur.

Vaſorum apertio facta in renibus à ſanguine copioſiùs ſeſe in ea devolvente, inuſtionibus capitis, brachiorum, colli levari poterit, allecto ſuperis partibus igne unà cum ſanguine.

Cavendum tamen, ne, in hoc affectu cæteriſque jacturis urinæ & ſanguinis, quæ partium ureticarum, ideſt, renum, veſicæ, aut uteri vitio contingere poſſunt, ne cantharidibus uſtiones fiant; quamvis enim cervici admotæ ignem & ſanguinem partibus ſuperis trahere ſoleant, undè hi affectus præcaventur; malefica vi quâ partibus ureticis, veſicæ inter alias peculiariter creduntur infenſæ, eam incendunt, & cum igne urinam & ſanguinem in partes prædictas trahunt, è quibus veluti micturiendo foras effluunt, & proindè affectus ingraveſcunt.

Calculorum materia ſi à tenui pituita ob capitis hunc humorem non ſatis expurgantis vitia congeratur in renibus ſubtrahi poterit inuſtionibus partium ſuperiorum Laxitatem tamen in minuendis doloribus perneceſſariam inferent inuſtiones partium inferiorum, maximè renum, crurum, tibiarum, quibus, ſuperveniente renibus & partibus ſubſtratis, alimento, ab igne, humido, nutritio fiet.

Hac arte quiſque ſymptomatis renum facilè occurret Difficultas enim & ſuppreſſio urinæ aufferentur inuſtis tibiis aut ipſis renibus ſi cauſa illius congeratur proprio inferiorum partium vitio; quod ſi cerebri pituitam non ſatis expurgantis imbecillitate ruat in haſce partes corporis, inuſto capite & partibus amicis præcavebitur: Quòd autem hoc ſymptoma devolvente ſe è ſuperis locis humore pituitoſo quo partes ureticæ, vaſa potiſſimùm earum occluduntur, originem ducat, experientia pandit: Hinc enim facilis eſt recurſus doloris nephritici in arthriticum, agente ſe mox in vaſa uretica, mox in ea articulorum humore pituitoſo qui de-

cumbit è cerebro; quod etiam experimur in dolore colico qui humoris in intestina descendentis metastasis in articulos mutatur in arthritidem. Hinc
6. Epid. 4.3. *qui articulari morbo detentus intestini dolore dextra parte vexabatur, leviùs habebat, ubi verò hic curatus fuit, magis dolebat.*

Nimium urinæ profluvium si fiat à calore valido renum, curabitur inustionibus superis, quibus venter inferior refrigescet, nec urinam tam avidè trahet; si ab illo capitis, ut notatum, in dolore illius partis rheumatismi prævio, phrenitide, malignis febribus, inustionibus morbo præcipuo dicatis, si cæteris remediis non satis eliminetur.

Eadem methodo procedendum in morbis ureterum, qui eosdem penè affectus & ab iisdem causis sustinent.

Democr epist. ad Hipp Vesica *nervosæ naturæ, coxæ ori per complicata vasa insidens & causa excretionis urinarum*, eosdem affectus patitur ac renes, iisdemque de causis, unde iisdem inustionibus, & supra pubem admotis placari debent, si iis locum esse quis velit.

Inter

Inter alia autem ſymptomata quibus hæc pars conflictatur, eſt urinæ ſuppreſſio, quam parit ſæpiſſimè debilis ſenſus veſicæ aut abolitus præ arteriis illius à fluxione humoris pituitoſi è cerebro decumbentis aut ejuſdem congeſtione, variis caſibus inducta, refrigeſcentibus, unà cum nervo quem ad ſenſum huic parti natura præpoſuit. Quòd ſi affectio originem trahat à cerebro, huic, propriis inuſtionibus primùm conſulendum eſt; mox ſuccurrendum veſicæ, inuſtionibus tibiarum, crurum aut pubis. Quòd ſi in notitiam cauſarum hujus ſymptomatis experientiam afferre mihi liceat, Civis hujuſce Vrbis nomine D. Franciſcus Chauſiergues, cùm citatis equis Nemauſum duceretur; interfœ mineum tam graviter attrivit, ut ex equo in terram ſolus deſcendere non potuerit, nec urinam eijcere, niſi adventante nocte, in qua, devolvente ſe ad partes inferas, ut ſole ad terram, nativo igne, non ſine difficultate emiſit. Cùm ergo ſenſim per annum minueretur excretio urinæ, iſchuria tandem ſucceſſit, cui ſolo cathetere intùs commiſſo opitu- Hiſtoria.

latum fuit, remeante interim urinâ, majore sui parte, ex inferis locis supra vesicam, ad superiora corporis. In suspicionem calculi ventum est à quibusdam Medicis; ab aliis pituitæ canalem occupantis sine ratione. Accersor ego, sed in ultimo ferè discrimine, auditóque veteri casu, paralysim vesicæ, attritionis externæ sobolem in jus adduco, ut sæpiùs evenit tibiis & pedibus jacendo aut sedendo, scripsit Hipp. nec aliâ viâ quàm apertione interfæminei & superioris colli vesicæ, ut ischuria in urinæ incontinentiam verteretur, tam vehementi affectui opem afferri posse aio. Renuit Chirurgus ordinarius remedium exequi, undè tertiâ die & decimâ affectûs æger è vivis excessit. Aperto cadavere, omnia, ut decet, sana apparuerunt, sola vesica juxta partem ubi interfæmineum attritum erat, parte exteriori ita coaluerat cum socia, & ita desciverat à nativo colore & à mollitie, ut insolitam albedinem & duritiem corij æmulam præseferret, non secus ac contingit partibus paralyticis.

Lib. de morb. sacr.

## SECTIO VI.

### *De morbis partium genitalium.*

VT duplex sexus ad generationem est necessarius, sic & genitalium partium differentia in utroque necessaria fuit Indè affectus partium genitalium, alij sunt virorum, alij fœminarum, de quibus pauca dicenda sunt.

Testium intemperies si nativæ sint, solóque ignis defectu aut robore premant, inustionibus, renum more sanari debent. Si humorum sociæ, similiter etiam ac illæ renum aufferri possunt.

Hernia si aquosa sit ob vitium fontis, putà cerebri pituitam non satis expurgantis, hydrocelem vocant, aut flatulenta à crudis succis præ calore tenui in flatum conversis, aut si processus nimia humiditate è cerebro defluente relaxetur, inustionibus eget partium superiorum, capitis, brachiorum & colli. Quòd si flatuum materia

aliundè quàm ab humore cerebri concitetur, partium inferiorum inustiones roborato calore nativo prodetunt, & si inustiones infigantur processui, à nimia humiditate liberabitur.

Sarcocele & sircocele, quorum illa generatur à carne scroto adnata ob copiam sanguinis; inustionibus partium inferiorum, tibiarum & crurum levari poterit, scroto incalescente, undè luxuriantis humoris appositio prohibebitur. Circosele quam pariunt venæ atro refertæ sanguine sinistro liene, crure aut tibia sinistra levari etiam poterit, dum lien validior factus atrum sanguinem rectiùs expurgabit è corpore.

Penis vix inustionibus eget, nisi ulceribus in eo concitatis, fiant in ipsa parte aut superis, si ex his in istam fluxiones decumbant.

Satyriasis & priapismus quem concitat acrioris seminis descensus in testiculos, non parum juvabitur inustionibus partium superiorum, quibus roborato earum igne eadem copiâ ultimi alimenti coacervari prohibetur ut in semen facessat & in testes feratur.

Gonorrhœa, si laxatis à fluxione tenui facta è cerebro vasis spermaticis adueniat, inustionibus partium superiorum allevabitur; si maligna sit & virulenta, infernis ustionibus quibus virus educetur per loca conferentia metastasis prohibebitur & partes exsiccabuntur. Vide Zacutum. Lib. 1 prax. adm. obs. 105

Quòd spectat ad sterilitatem: Quia iisdem causis contrahitur in homine ac in fœmina, præter eas quæ à partium discrimine sumi possunt, inferiùs agendo de morbis fœminarum enucleabitur.

Vteri & partium sociarum intemperies ratione habita partis mandantis humorem, vel ignem in eas demittentis cæterarum more levari possunt.

Nimia vasorum amplitudo quâ sanguis per uterum nimis effluit, inustionibus eget superiorum partium, quibus ignis unà cum humore superis partibus revellatur; angustia contrariis eget.

Tumores seu ab humoribus, seu à flatibus oriundi, inflatio nimirum & inflammatio iisdem inustionibus egent ac vesica; & si ab humore qui de-

cumbat è cerebro, ut in hydrope uteri plerumque contingit, originem trahant, cauteria capiti & partibus vicinis inurenda sunt ante omnia, ut ad primam mali causam, causæ occasionem & primordia res deducatur. Hac industriâ hysterhydropem qui oritur à menstruis retentis præ inducta frigiditate sæpiùs abstuli, remanente interim utero utplurimùm schirrhoso, majore sui parte, quod malum ægrè quis aufferat: Vxor quædam sutoris Bolenensis nomine Serres, fluore albo detinebatur, cui Clarissimus Medicus Avenionensis nomine Levieux, remedia multa præscripserat; Cùm autem hic fluor produceretur à pituita quæ è cerebro in uterum decumbebat, hac citra inustiones capitis tantisper siccatâ & fluore evanescente, uterus portione humoris retenti & in flatus versi intumuit, undè ægrotans se gravidam esse autumavit. Jncrescebat enim singulis diebus cum ciborum fastidio tumor abdominis, maximè circa pubem, motum se puelli sensisse constanter afferebat, retentisque menstruis & mammis hac occasione pinguiorem partem chyli

Historia.

attrahentibus lac in iis apparuit: parturitionis tempus instat, parantur linteola, pileoli & reliqua infantis supellex, nec tamen in auras venit: Decimus mensis graviditatis finem habet; undecimus similiter, res ducitur ad annum. Maritus de falsâ graviditate & hydrope in suspicionem fertur, vxorem ad me ducit, narrat historiam: manibus exploro abdomen, flatum in utero contineri retenti fluoris albi fœtum invenio, & ante omnia causticum occipitio inurendum præscribo, ut primæ mali causæ, occasioni & primordiis consuleretur, mox varia purgantia hydragoga & hysterica. Consilium Pharmacopæo traditur exequendum. Ille ignarus rationis quæ me impulerat ante omnia occipitij inustionem præscribere, pharmacis impendit operam sine sensibili levamento: occurro illi forte fortuna in Vrbe nostra: quæro num occipitium ægrotantis inustum fuerit & aliorum remediorum, eventum: parum profuisse, & inustionem post cætera distulisse se respondet ille: Vrgeo ut quàm citiùs curaret exequi: spondet, & promissa tenet: Mirum dictu: à

momento inustionis tanta fuit revulsionis pituitæ è cerebro in uterum effluentis & morbum inferentis vis, ut à paucis medicamentis quæ supererant exequenda, uterus pristino statui redintegratus fuerit, vix alia ope tumorem suum depositurus. Iisdem inustionibus exsiccabuntur ulcera uteri, si ab acri succo è superis partibus deciduo fiant: si ab aliis partibus, ratione partis mandantis ut decet habita.

Vltra affectiones suprà scriptas, uterus situ peccat, dum vel instat superis partibus, & ascensus dicitur; vel ad latera, & inclinatio nominatur, vel deorsum & descensus prolapsúsque indigitatur.

Ascensus curabitur inustionibus partium inferiorum. His enim attractò inferis partibua igne & sanguine, *convulsi uteri qui impetunt hepar & sursum ad humiditatem feruntur*, ea suscepta conquiescent.

Lib. de morb mul.

Idem agendum si trahatur ad latera. Quòd si partibus inferis elabatur, inustiones superiorum partium quibus ignis& humor trahentur iisdem partibus unà cum utero, utiles erunt.

Inter symptomata uteri priora erunt

imbecillitas, frigiditatis hujusce partis comes, quæ inustionibus tibiarum, crurum, pubis levari poterit; attracto ad uterum occasione earum nativo igne.

Dolor refrigerationis pariter soboles, iisdem inustionibus eget. Pruritus qui fit ab acri sero in eam corporis sedem è venis superioribus devoluto, inustionibus partium superiorum allevabitur; & si partis constrictio, acriorum fuliginum aut succorum retentione pruritui faveat, inustiones agendæ partibus inferis, quibus superveniente alimento, ab igne, humido uteri substantia laxior fiat & faciliorem acrimoniæ viam sternat.

Aliam classem symptomatum tenebunt menstrua, quæ vel nimis aut citiùs fluunt, & inustionibus superis retinebuntur; vel nullo modo aut longiore interstitio, vel pauca quantitate duabus de causis, nimirum obstructis venis uteri à sanguine crasso, ut plerumque contingit in obesis, quæ ventrem frigidiorem habent, dum superiore natura corporis proportione respondeat æstati; in quo casu inustiones agendæ tibiis aut cruribus; vel

non satis incalescente superiore corpore in pituitosis & quibusdam etiam macilentis quorum exterior habitus proportione respondet hyemi, interior respondet æstati: in quo casu caustica, cervici, thoraci, brachiis admovenda, quibus superior venter id-est, ambitus corporis incalescat, & sanguine ob nativam gravitatem ad partes inferas motionis initium suppeditante mulieres singulis mensibus, *calidi*, hoc est, sanguinis præ copia in-
1. de calescentis *purgationem habeant.*
vict. Menstrua etiam à naturali colore
rat. deflectunt, & vitiosa fiunt, permixtione variorum humorum quos natura observato circuitus ordine foras educet per loca conferentia si inustionibus locorum qui fontibus unde oriuntur robur inferre possit, & cæteris auxiliis adjuvetur.

Mensibus sese malè habentibus, suppressis potissimùm aut imminutis fluores succedunt, albi, rubri, flavi, mixtorum colorum; albus, pituitæ à cerebro non satis expurgatæ comes est, & roborato inustionibus capitis; colli & brachiorum illo levari debet præ cæteris auxiliis. Flavus à bile ob vi-

tium hepatis, inustionibus eget partis sub hepate, cruris dextræ aut tibiæ: ruber à sanguine è superis locis in uterum nimis erumpente, inustionibus brachiorum quibus humor undè oritur, à corde ut par est expurgetur per loca cõferẽtia.

Tertia classis symptomatum uteri est eorum quæ accidunt mulieribus seu virginibus seu viduis; sunt autem dolor capitis, ut in *Muliere Pharea*; Morbus virgineus, suffocatio, mirus cum aliis partibus consensus; furor, melancholia; quæ omnia, quia refrigescente utero & variis humorum effluviis illius occasione in cor & caput actis eveniunt, revocato, beneficentiâ inustionum pubis, cruris & tibiarum calore nativo inferis partibus, ut menstruis supervenientibus in *Muliere Pharea* curabuntur. Inde Celsus sinapismos applicat regioni pubis; sic autem effatur. *Sinapi super imum ventrem tertio aut quarto quoque die imponendum est, donec corpus rubeat.* 5. Epid. Lib. 4. cap. 20.

Eædem inustiones agentur si hepar, ventriculus consentiunt uteri affectibus, aut si tibiæ, pedes & crura doleant, præ sympathia ut in *anu Zozilea* notavit Hipp. 5. Epid.

Quarta symptomatum classis est eorum quæ fœminis connubio junctis utplurimùm solent accidere. Cùm enim generationi debeant incumbere, multa requiruntur ex parte fœminarum. Sunt autem veneris appetitus, membri virilis admissio, seminis masculei receptio & proprij fœcundique effusio in coitu, retentio, conceptio, quibus inustiones non possunt inservire. Sterilitati tamen earum & virorum si curabilis sit, favere poterunt, modò causæ quæ iis egeat accommodentur; ut frigidiori humidiorique utero si applicentur cruribus, tibiis, si vitium à fluxione non concitetur; in hoc enim casu superis partibus admovendæ, maximè pituitosis, quibus si nares & semen quod majore sui parte descendit è cerebro, nimiùm humescant, minùs prosperâ uti valetudine significatur; juxta Hipp. aphorismum: *Quibus nares natura sunt humidiores & genitura humidior, ij morbosiore sunt valetudine; at quibus contraria sunt, salubriore.*

6. Aph. 2.

Idem agendum si abortus concitetur, utero, ob cerebri humores in eum demittentis vitia, humidiore facto. In

hoc enim casu, ad præcautionem caput inurere summè proderit; quod si abortus fiat impletâ mucoribus venâ umbilicali, unde aër in fœtum adire prohibetur unà cum sanguine, uterus & venter retentis flatibus obmurmurent, & doleant; attrahendo igni versus uterum ad fusionem mucorum inustiones agendæ partibus inferis, si affectio levibus diureticis in jusculo sumptis cedere nolit, ut experientiâ compertum habeo.

Symptomata gravidarum iisdem inustionibus ac ea aliarum fœminarum debent aufferri, ut & suppressio lochiorum & nimium profluvium; modò fœtus in gravidis, contrariæ indicationes inenixis id agere non prohibeant.

Quòd spectat ad morbos qui sequuntur metastasim puerperarum in varias partes corporis, si inustionibus egeant, ratio semper habebitur uteri, utpotè qui primam mali causam, causæ occasionem & primordia subministravit.

# LIBER VLTIMVS.

## *De Morbis externis & de febribus.*

INter morbos externos numerabimus morbos abdominis, umbilici, dolores, putà, arthritidem.

Vmbilicus præter alios affectus, varios tumores patitur, exomphaloceles indigitant, ab intestinis, omento, flatibus, aqua, carnosa substantia umbilico exorta, qui sanabuntur eadem inustionis methodo ac herniæ scroti & inflammationes illius, si inustionibus locus esse possit; idem agendum musculis abdominis inflammationem patientibus.

Arthritis Barbaris *Gutta*, nihil aliud est quàm dolor articulorum per periodos insiliens à fluxione humoris non tam à sua natura quàm ex eventu tenuis, qui dum intra venulas articulorum coërcetur, ignemque sistit membranis eorum, dolorem fortem & non sublimem parit; dum è venulis

in substantiam membranarum effunditur: levem & sublimem ut dictum aliàs.

Effunditur hic humor præ cæteris è capite metropoli pituitæ & ab universo corporis habitu, venis nimirum majoribus; & si in genua, gonagra dicitur; si in pedes, podagra; in manus, chiragra; in coxas, morbus coxarius indigitatur.

Ut ergo hic affectus præcaveatur, caustica superis partibus, capiti, occipitio, collo, brachiis inurenda sunt, quibus attracto ad fontem præcipuum humoris peccantis nativo igne, si quid superfluum sit, observato naturalis circuitûs ordine exteriùs eliminetur, nec partibus infernis se inferat. Idem agendum juxta partem affectam si fluxit facta sit, ut levis intemperies, (debilitatem vulgus Medicorum indigitat) quæ ab humorum nimio fluxu concitatur, auferri possit humores fluxi solvantur, cerebrum refrigescat, nec ulteriorem in articulos fluxionem refundat: indè Hipp. ubi fluxiones è capite oriundas exposuit, maximè hydropem, sic effatur: *Cum autèm in* Lib. *carnes posteriore parte juxta vertebras il-* de

*lapſa fluxio aquam intercutem excitarit, hunc in modum curato. Ceruicis carnem quæ in medio eſt venarum, tribus cruſtis inurito, inuſtum conſtringito & quàm tenuiſſimas cicatrices facito, & ubi viam intercluſeris medicamentum ad nares admoveto ut eò divertatur, & imbecillum rurſus donec alio avertatur.*

Ex eo etiam quod inuſtiones agendæ ſint juxta partes dolentes ut earum imbecillitas præ cæteris aufferatur, Hipp. ſic effatur multis in locis.

Lib. de affect. Primò in deſcriptione morbi coxarij & remediorum illius : *Quod ſi in uno aliquo loco fortiter conſtiterit dolor, neque medicamentis expellatur, quocumque loco dolor fortè extiterit, eum line crudo inurito*; citra tamen gravem dolorem quis fluxionem allicere poſſet, utque partium natura igne adjuta quod ſibi infenſum eſt in ea ſede corporis, non per uſtiones, ſed per vias ordinarias ventrem ſcilicet & veſicam miniſterio venarum foras educat.

2. Sic etiam loquitur de chiragra, poſtquam articularis morbi narrationem & remedia ſcripſit, *quod ſi in digitis dolor remaneat, venas in digito* aut potiùs partes venis propinquas,

*paulò supra articuli nodum inurito, ustio autem per linum crudum fiat*, ad partis robur nimirum, ut adjuta igne, quod imbecillitatis causa est, solitis viis subducere possit.

3. In curatione rheumatismi quem scribit sub nomine magni morbi venarum cavarum, qui ex renum morbo; idest renibus solita via serum è corpore non subducentibus invadit, his verbis: *Quod si hac curatione non sedetur*, idest, quod si remediis in textu scriptis non conquiescat affectio, *ubi lacte crassionem reddideris, scapulam dextram i feriorem quatuor crustis inurito coxendicis dextræ acetabulum tribus, inferiores, nates & medium femur dualus, genu superius unâ, & malleolum superiore parte unâ; quod si sic ustus fuerit, neque sursum neque deorsum morbum progredi permittit*; expulsa illius causa ope naturæ adjutæ igne non solùm è fonte præcipuo, nimirum è cerebro, sed etiam ex imbecillis partibus, undè prorsus cessare necesse sit, & si in aliqua parte dolor præcipuè sit, ustio facienda ob rationem superiùs dictam. *Vrendæ verò sunt carnosæ quidem ferramentis, osseæ verò & carnosæ fungis*,

Lib. de inter affec.

Ibid. *præterquam quod ante hac ista facienda sunt.*

4. In curatione ejusdem affectus sub nomine *Typhos*, tumores dolorum socios cucurbitulis & punctionibus aufferendos esse effatur, *& sicubi in articulis tumor exoritur, nec discedat, admota cucurbitula sanguinem detrahito, compunctisque per acum triangularem genibus in quibus tumor extiterit, nullo tamen alio articulo compuncto.*

5. Idem etiam remedium & venæ sectionem poplitis commendat his
Lib. de inter affect. verbis: *Coxendicum autem morbus* &c. *si verò quis coxendicis morbo ex pituita ægrotet, granum gnidium aut hypopphaës post admotum fomentum propinato, &c. & si quidem ab his juvetur, sat est, sin minùs ei multas & altas crustas in osseis quidem partibus per fungos, in carnosis verò per ferramenta inurito. Quid si ex sanguine ægrotarit, post adhibitum fomentum ei cucurbitulam admoveto, & venas in poplite secato.*

Hæc remedia, inustio nimirum coxendicis & venæsectio malleoli in usum fuere adducta in *Eupolemo*, qui
5. Epid. tamen curatus non fuit ex eo quod, ut ait Hipp. pus ut par erat, unâ sectione

non fuit extractum. Eandem affectionis ſortem non habuit *Lycon* cui vena ſecta fuit ſimiliter, inſtituta purgatio, nec pus collegit, ſed meliùs habuit. Siſtit autem fluxionem prædicta venæ ſectio, refrigerando cerebrum unde prodit, & partem excalefaciendo, unde robur & ab eo humoris exolutio fit, ut dictum.

Eadem uſtionum juxta varias partes corporis, maximè articulos admotarum induſtriâ Nomades olim humidiorem corporis naturam corrigere & impotentiam illius ſobolem aufferre moliebantur, quod Hipp. expreſſit his verbis: *Eorum autem humiditatis magnum hoc eſt argumentum, quod Scbytas pleroſque ac Nomadas, humerisb, rachiis, primis manum juncturis, pectoribus, coxendicibus & Lumbis exuſtis eſſe comperias, nullam ſanè aliam ob cauſam quam natura humiditatem & mollitiem; nam neque arcum intendere, neque humero jaculum contorquere ob humiditatem ac impotentiam poſſunt. Cum verò uruntur, ex articulis humoris copia reſiccatur, corumque corpora validiora, habitiora & firmioribus articulis redduntur*, attracto partibus externis igne quo per internas, venas nimirum, humores ſu- *Lib. de aër. loc. & aq.*

perflui repelluntur in emunctoria corporis, ventrem præ cæteris & veſicam, ut ex iis excludantur. Quòd ſi non contingat, omnis generis impotentiæ ſe produnt, ſæpiſſime, à coxendicum doloribus luxatio femoris, & ab ea claudicatio & tabes coxendicis. Indéque ait Hipp. *Quibus diuturno dolore iſchidiaco vexatis femur excidit, iis crus contabeſcit, & claudicant, niſi urantur.* Ideſt, quibus à diuturno coxarum dolore fluxionis ſobole, crus excidit è ſuo cotyledone præ nimia humiditate, iis, deficiente, ob ignis tenuitatem, à ſuperfluo humore inductam, nutritione vera, crus contabeſcit & ægri claudicant, niſi urantur tum ſuperis locis, capite nimirum, tum infernis, putà coxis, ut attracto, non ſolùm ad partes, igne validiore, nutritio vera fiat, ſuperveniente, alimento, ab igne, humido, quo humor ſuperfluus repellatur in emunctoria corporis, ſed etiam prohibito humorum in coxam è cerebro decumbentium effluxu, ob robur inductum cerebro, primæque mali cauſæ, ut decet, conſulatur.

6. Aph. 60

Celſus *ultimum eſſe* ait, *& in veteribus*

*quoque morbis efficacissimum tribus aut* cap.
*quatuor locis supra coxam, cutem caden-* 22.
*tibus ferramentis exulcerare*, ut attracto ad eum locum valido igne, natura eo adjuta super uos humores & intemperiem partium aufferre possit; sic etiam effatur agendo de doloribus genuum *omnes autem hujusmodi dolores ubi inveteraverunt, vix citra ustionem* cap.
*finiuntur.* 23.

Zacutus dolorem genu fonticulo supra inguem aperto se curasse ait; dum autem subdit hujus ope humorem qui con uebat in genu vacuatum fuisse, quare intercepta fluxione imposterum alacriter vixisse, à veritate longè abest. Neque enim causticum in ea parte corporis inuri debuisset, sed superiori, putà capiti, cervici, brachiis. Illius autem occasione ignis qui ex inferis corporis locis in partem inustam efferebatur, dissipavit suo transitu per partem dolentem quidquid in ea superfluum & è superis locis deciduum erat, non tam per insensibilem spirationem ut putant, apertis meatibus externi corporis, sed remeantibus in venulas & ex his in majores & per eas in alvum & vesicam pravorum Piax. adm. lib. 2. obser 176.

humorum reliquiis, quo obtento malum prorsùs cessare debuit.

Alij morbi externi qui Chirurgiæ ministerio curationem suscipiunt, sunt tumores, vulnera, ulcera, fracturæ, luxationes, de quibus pauca dicenda sunt.

Nam primò ad luxationum, fracturarum & vulnerum curationem inustiones vix quidquam prosunt; quod si tumoribus ulceribusque sanandis aut præcavendis ne facilè recurrant, conferre possint, habita ratione humoris à quo producuntur & fontis cujus distributioni natura præposuit instituendæ sunt; pro œdematosis tumoribus quos pituita infert, capiti, collo, cervici: pro phlegmone quem sanguis sociis humoribus superior, brachiis: Erysipelate quod flava bilis ab aliis humoribus secreta parit, jecori, cruri dextro, aut tibiæ; pro schirrho & tumoribus enatis ab humore atro, lieni, cruri sinistro aut tibiæ. Hac arte Zacutus universi corporis nodos cauterio nuchæ sublatos vidit, quia
Lib. 3 prax. adm. obser. 113. pituitæ soboles erant.

Quòd si partibus liberis à tumore supersint non modò intemperies quarum occasione novis fluxionibus pos-

ſint infeſtari, non utile erit levi cauſtico eas inurere, ut attracto igne reliquiæ humoris morboſi & intemperies illius comites, ut dictum, auferantur; vel ſi tumores denuò invadunt, à priſtina ſævitie poſſint deflectere. Hac arte Moniali cuidam nomine ſancti Caroli detenta eryſipelate phlegmonode quod tibiæ dextræ veluti per periodos gangrænam minitabatur, fonticulum eidem tibiæ inurendum præſcripſi, quo roboraretur & ulteriùs incaleſceret, ne craſſior ſanguis bilioſi expulſionem vetaret & phlegmonem miſceret eryſipelati. Quòd fœliciter ceſſit, eryſipelas enim denuò prehendit ob viſceris intemperiem & partis debilitatem, quæ difficulter poſſunt eradicari, ſed citra phlegmona, quod proindè ſolis refrigerantibus ſine putrida ſuppuratione paucis curatum fuit. Hiſtoria

Tumoribus in pus converſis cauſtica debent admoveri, nî ſcalpello res agatur; imo & ulcera ſi malignantis naturæ ſint, cauſticis inurenda ſunt, vel cauteriis actu quo adaucto igne malignitas corrigatur & expurgetur, ut fit in febribus malignis.

Idem agendum, in carie oſſium, quæ

cauteriis non tantùm debet aufferri offi adictis, sed humor à quo illa infertur admotis causticis juxta fontem à natura per vias solitas urinæ & alij è corpore deturbari,ut superiùs dictum est.

Ad lepram cauteria variis in locis sunt inurenda, maximè in capite & supra lienem, ut humores crassi & superflui qui horum fontium aliis grandiorum maleficio præ cæteris congeruntur in habitum corporis}, inducto robore exteriùs abigantur, quod fœliciùs continget, si in aliis locis adhuc admoveantur. Albucasis septuaginta inuri voluit Gilbertus vix centum cauteria sufficere posse ait non ut crassi humores eorum evacuatione facta sensim expurgentur, ut autumant sed ut adaucto externi corporis igne, per solitas urinæ ventrisque vias è corpore detrahantur. Hac ergo industria non modo capiti quinque ad ossis corrosionem ut voluit Paulus Æginetta, falsò tamen in eo quod per illas crassus humor purgari sibi persuasit aliorum more; sed iuxta inguina, in brachiis prope illas in occipitio, sub mento & aliis locis instituentur. Hac arte concitatis à natura

à natura in inguine utroque, veluti fonticulis & roboratis liene & hepate, non educta solùm per eas partes materia virulentâ, quidam Dux Hispanus à morbo gallico qui species est cachexiæ, sanari potuit, ut est apud Zacutum lib. 1. hist. Medic. princip. obser. 18.

Alopecia si acrium humorum caput obsidentium & radices pilorum erodentium soboles sit, causticis ad fontem unde humor ille in caput fertur, ad hepar & partes vicinas si bilis sit; ad lienem similiter, si ater humor, & simul ad caput & collum inustis, si labes merè sympathica non sit, auferetur, inducto partibus robore. Quòd si à solo capitis incendio proficiscatur, ut fit in febribus continuis aliisque morbis calidis, maximè in dolore capitis, caustico partibus inferis, cruribus aut tibiis admoto, post curationem morbi unde incendium capitis originem duxit, poterit amoveri.

Febris à ferveo dicta, quod corporis aut potiùs ignis in eo contenti veluti fervor sit, calida est intemperies corporis *ab incensa* in corde, aut par-

6. Epil. tibus solidis *animo*, ideſt, igne ducens originem. Cùm enim duo ſint viventium principia, ignis nimirum & aqua, quæ ſeipſa ſuperare & à ſeipſis ſuperari mutuò debent, ignis ad motum in exteriore ſuperficie per diem, in interiore per noctem; aqua è contrario ad nutritionem; ſi tantus fiat ardor in corpore ut aquæ impetum imperiúmque prorsùs vetet, febris enaſcitur, valida quidem ſi ab ignis è corde influentis incendio concitetur, debilis & hectica, ſi ab incenſo partibus ſolidis igne ducat originem.

Vt autem ignis ille contra naturam, vel incenſo ob diſtributionis calidi frigidíque defectum aëre contento in humoribus, vel à bile ſecreta quæ olei inſtar ignem cæteris humoribus faciliùs ſuſcipit, originem ſumere poteſt; duplex eſt febris: Alia quæ dicitur ephemera ab incenſo aëre, alia quæ putrida nuncupatur, ab incenſa bile oriunda. Illa finitur ſpatio viginti quatuor horarum aut circiter, & ſi per plures dies durare viſa ſit, tenuem flavæ bilis portionem in ſu e cauſæ ſuppetias addit; hæc vel à *bile meraciſſima & copioſiſſima fit*, ut ait Hipp.

Lib. de nat.

& dicitur continua & continens, & à ſiti inextinguibili cauſus; vel ab aliis humoribus unà cum bile iiſque vel periodicè ſimul congeſtis intra venas craſſis in paucâ quantitate,& intermittens generatur multiplicis differentiæ; quotidiana,tertiana, quartana, & aliæ; vel ab iiſdem ſed tenuioribus in tantum ut bilis copioſiſſimæ continuò putreſcentis incenſæque calorem ſuperare non poſſint; frigus, horrorem & rigorem inferre & febris proportionata fit ejuſdem differentiæ, tertiana, quotidiana, quartana, quæ intermittentibus aliquando aſſociatur & hemitriteum præ cæteris parit; vel bilis flava craſſis humoribus & copioſis ſimul conjungitur & febris fit quæ ex humorum & ſymptomatum ex iis oriundorum improportione maligna nuncupatur; ſi in vulgus facilè involet, multoſque tollat è medio, peſtis; & à ſymptomatum quorundam peculiari natura, variolæ, morbilli, ſudor Anglicus &c.

Ex his facile eſt videre inuſtiones in febribus curandis vix in uſum adduci debere. Ephemera enim viginti quatuor horarum ſpatio finitur, &

inuſtionum calore gravior fieret; continua à bile mera ſimiliter, niſi ſedando ſymptomati ut delirio ſimplici, ſi ſedari debeat, modò inferis partibus inſtituantur, quibus ignis trahatur ad eam regionem corporis & caput relinquat; Præcaveri tamen poſſunt hæ febres inuſtionibus, habitâ ratione cauſæ primariæ, ut ſi ephemera catarrhi comes exiſtat, inuſtionibus quibus ille poſſit averti; putrida ſimplex citra malignitatem, inuſtionibus hepatis, cruris dextri aut tibiæ, quibus bilis à ſuo fonte ritè purgetur è corpore nec febris materia fiat.

In curandis febribus intermittentibus, vix etiam in uſum adduci poſſunt, cùm paroxyſmi parvo temporis ſpatio finiantur. Non inutiliter tamen, ſi tertiana notha & quartana diuturniores ſint, inuſtiones præſcribentur, vel lieni & partibus inferis, cruri dextro, aut tibiæ ſi atræ bilis participes ſint; vel capiti, cervici & brachiis, ſi pituitæ à cerebro non ſatis expurgatæ. Ablato enim humore præcipuo, & roborato principio faciliorem curationem ſuſcipere poſſunt.

Quod autem febris tertiana & quar-

tana præter bilem unde calor infertur, à pituita unde frigus fit, aliquando ducant originem docuit Hipp. his verbis : *Et oritur quidem tum tertiana, tum quartana ex bile & pituita ; quam verò ob causam, alibi à nobis scriptum est.* Lib. de affect.

Par ratio est febris malignæ essentialis ; sæpiùs enim ad bilis è corpore per intestina intempestivè prodeuntis retentionem eget, ut dicetur ulteriùs, inustionibus capitis, maximè juxta aures : quibus prædictus humor trahatur ad partes congeneres intempestiva illius effusio per alvum sistatur, quod continget, successu non infœlici, si malignitati ut decet consulatur. Idem statuendum, si somnus præter naturam superante juxta principium & finem suum humore pituitoso fiat, inusto enim capite & cervice, attractáque cum igne valido bile plurimâ levari poterit. Quod si natura materiam malignam expellere cernatur ad emunctoria corporis aut ad alias partes ubi bubones pariat, carbunculos & exanthemata ; inustionibus juxta eas partes admotis juvari poterit.

Si motus convulsivi in naturæ febre

maligna laborantis, nec satis robustæ suppetias trahantur, quibus materiam malignam in intimis visceribus stabulantem & deliranti cerebro, vaporibus suis aut substantiâ suâ infensam excutiat reciprocante motu, nec infœlici omine, licèt non sine gravi discrimine, quod sæpiùs apparet, ut Hipp. & experientia comprobârunt; ne convulsivi motus intercepto aëre ægrum strangulent, utque calor magis trahatur ad cerebrum, cujus ope prædicta materia purgari possit, & vibratio membrorum conquiescere, inustiones per cauteria actualia statim agendæ capiti aut proximis partibus. Hac industriâ, excitato in nucha & vertice capitis per ignem actualem, ferrum scilicet ignitum cauterio, multos ægros & inter eos Pharmacopœum hujusce Urbis nomine Sauvet, non tam à febre maligna

Historia. quàm à morte Dei, suffragio vindicavi. Ita enim attractus fuit ex inferis internisque partibus calor in cerebrum quod præ delirio simplici quodammodò jam calescebat, (quod notandum præ cæteris) ut concitata inter reciprocantes motus corporis, ac quasi inter moriendum validi caloris ope materiæ

nigricantis malignæ & biliosæ diarrhæa, veluti resurrexisse vulgatũ fuerit.

Quod si ad febris essentialis malignæ curationem delirium simplex, ideſt, paraphrenitidem in suppetias vocare necesse fiat ex Hippocratis præscripto, inustiones partium superiorum; & cucurbitulæ cum multa flamma, scarificatione, collo, scapulis, juxta aures, & alias capitis partes admotæ mirè proderunt. Tantâ enim vi aliquando calorem trahunt in cerebrum, ut hujus incendio mentis alienationem si fieri incipiat non parum augeant; si non adsit, inducant; qua fit ut materia maligna cerebri calentis ministerio validiùs fundatur, fusáque per solitas crises è corpore, vel per decubitum in articulos ubi dolores infert, aut in alias partes ubi carbunculos & bubones parturit, à venis & arteriis ubi gestatur in febre maligna, prorsùs eliminetur; veréque, ut diximus aliàs ex Hipp. *febres cum mentis alienatione*, sed malignas, *vehemens in sania solvit.* Coac 550.

Jn febribus etiam malignis essentialibus, ad sedandum biliosæ materiæ

humoris maligni coctionem suo exhaustu impedientis profluvium, ad fugandas vigilias, quæ hac occasione, furiente in venis majoribus humore crasso, incensóque inde cerebro fiunt, mirè prosunt (si repetere liceat) inusta superis partibus, brachiis, collo caustica, vesicantia, cucurbitulæ superiori parti dorsi quibus, revulso igne natiuo ad vasa quæ in superiore parte corporis potissimùm fruticant, eámque humidiorem esse faciunt; biléque suppressâ, somnus accitur, qui sudorem invehit aut aliam crisim & exanthematis ad externam corporis superficiem attractis, vita servatur; quâ in re naturam imitari nos decet, quæ eadem industria in eodem casu, exanthemata foras expellit & crises ad curationem pernecessarias molitur. Quod Hipp. his verbis quasi ex oraculo effatur:
364. Coa. *In anxietate laborantibus, cum alvi turbulenta suppressione celeriter veluti culicum punctura in cutem erumpunt, & ab oculis lachrymosus abscessus procedit.*
Jdest. Ægrotantibus febre malignâ essentiali, quæ anxietate corporis internoscitur, si bilis turbulentas mo-

tiones inferentis diarrhœa sistatur, quamprimùm, attracto igne superioribus vasis externisque partibus corporis, exanthemata, puncturarum, quas culices inferunt, similia, erumpunt, & crisium signa fiunt, lachrymæ in iis qui sanguinem per nares fusuri sunt, somnus in iis qui sudoribus curari debent, unde paucis sanitatem, si cætera rectè se habeant, sperare quis potest.

Quod spectat ad febrem hecticam, cùm hæc universi corporis potissimùm exterioris superiorisque, utpotè vasis numerosioribus intertexti, substantiam invadat, nullo meliore remedio averti & curari poterit, quàm fonticulis partium inferiorum, maximè tibiarum, quibus ignis nativus trahetur è superiore & exteriore corpore ad partes internas infernasque, cerebrum quod pituitæ fons est & frigiditatis principium debitam temperiem servabit, nec corpus tam citò adurere patietur. Quod autem partes superiores corporis inferioribus sint humidiores, occasione vasorum quibus intertexuntur, ac proindè quod

hectica febris has partes faciliùs invadat, & ex iis ad curationem & præservationem per inustiones partium inferiorum revelli debeat, scripsit Hipp. his verbis: *Superiora vasa magis humida sunt, cum plures venæ sint superiore parte quàm inferiore, & capitis carnes minore indigeant humiditate.* Cætera videas in Hipp. nostro de usu lactis in curationibus morborum.

Lib. de loc. in hom.

Cavendum tamen cùm humores in hoc affectu præ aliis ingentem acrimoniæ sensum à calore & viscerum pravitate concipiant, ne iis ad tibias affluentibus partis substantia unà cum venis erodatur, & sanguine carceris velut impatiente effusóque vita fugiat, ut experientiâ compertum habeo in clarissima Muliere huiusce Urbis quæ cùm avertendæ suffocationis uteri gratiâ cauterium gestaret in ea parte corporis, idest, in tibia, & in febrem hecticam ultimi gradus incidisset, tanta fuit humoris per fonticulum sese efferentis acrimonia, ut carnem eroserit, venáque inter dormiendum aperta universum pe-

Historia.

nè ſanguinem foras ejecerit, unde factum eſt ut ægra intumeſcens ad oculorum ſenſum, ſpatio diei ad ſummum, vitam cum morte commutarit.

FINIS.

Paginâ 322. post lineam 11. addito sequentia.

Reverendus Pater Ant.... Æg..... Digniensis Sacerdos Ordinis Sancti Francisci de Paula, missus è Curia Romana, ubi Qualificatoris munere fungebatur in Cænobium hujusce Urbis, squallebat superioris corporis macie, sequaci febris exiguæ, oculi quasi in tristioris fortunæ specimen demissi erant, appetentia prostrata, abdomen renitebat contactui, insomnis erat æger, & præ incertis dolorum ventris erroribus querulus, varia in cassum administrata remedia, purgantia, refrigerantia, venæ sectio etiam malleoli, fomenta abdominis, semicupia in eundem scopum, caustica tibiis inuri noluit, ratus inutilia fore, aquæ Maynenses, suffragantibus de more solito quatuor Medicis, in usum adductæ, cum quodam levamine intra priorem hebdomadam, ingravescente, inter longiorem usum, morbo; ad nos iterum vectus est æger & in ultimo ferè discrimine positus, admotum, dum alia non prodessent, me consulente

inſtantéque interiori parti ſiniſtræ tibiæ circa meridiem cauſticum. Mirum dictu ſimile incantamento: eadem nocte placidè largéque dormivit, à ſomno ſaties læta fuit, oculi vividi, tumores & dolores ventris pene ceſſarunt, appetentia rediit, dum natura inuſtæ tibiæ occaſione, ignem ſuperis partibus gravem, in internas infernaſque, ubi ille languebat, & tumoris dolorisque cauſa erat, commovit. Lætus æger pro fœlici ſucceſſu cauſtici, aliud tibiæ dextræ inuri voluit, quo reſidui dolores hepatis ferè ſublati ſunt, partibus ſuperis inferiſque corporis mira hac induſtria ut decet temperatis.

Dominus Franciſcus Mag.... Civis hujuſce Urbis, languebat ſimiliter cum tuſſi valida, macie ſuperioris corporis; premebatur dolore hypochondrij ſiniſtri; appetentia proſtrata erat; vocatus ſub finem menſis Decembris, anno 1680, eadem die crus ſiniſtrum inuri præſcripſi, & ſequenti nocte dolor hypochondrij ſiniſtri remiſit; paucis diebus attracto ad partes inferas, ſuperiorum partium calore nimio, parente tuſſis immoderatæ, tuſſis unà

cum dolore penè cessavit, appetentia rediit.

Nec tamen ad febris hecticæ curationem, infernæ partes, crura potissimùm debent inuri; quin potiùs, quia in curatione morborum *ad primam mali causam, causæ occasionem & primordia veniendum est*; si febris hectica fluxionis è cerebro in artus ventriémque deciduæ & fluxum alvi inducentis soboles sit, partes superæ caput & collum inuri debent. Hac industriâ, à morte, si ita loqui liceat, ferè vindicavi uxorem cognati mei Causidici hujusce Urbis. Incidit illa post quosdam dolores artuum, in alvi fluxum qui diù noctúque albis dejectionibus insolescebat; corpus squallebat ferè ultima macie, sudores nocturni vires illius prostraverant, & quod pejus erat, æstus Caniculæ mitè favebat tam diræ labi. Irrita pene erant omnia, clysteres detergentes & refrigerantes, medicamenta roborando purgantia, semicupia, decoctum hordei integri, causticum admotum occipiti, mors fores pulsare videbatur; cùm, aliud causticum suturæ coronali ægræ difficulter

ſpirantis admotum fuit, unde alvus ſubſtitit, ſudores nocturi ceſſarunt, ægra ſolitam corporis molem vireſque priſtinas exhibuit, intuentibus, ſeſe quaſi ſpiritum videre longè latéque promulgantibus cunctis.

## ERRATA.

Pag. 6. lign. 21. lege mutuaſſe

| | | |
|---|---|---|
| 11 | 10 | ſint |
| 16 | 10 | hicque |
| | 18 | inſito qui |
| 17 | 13 | non |
| 19 | 12 | *alia ſunt* |
| | 15 | dele, medicamenta |
| 23 | 1 | præ |
| 27 | 20 | & ſanguine |
| 85 | 27 | eos, lege cor |
| 104 | 1 | excerni |
| | 6 | *animæ* |
| 105 | 7 | angit |
| | 16 | induens |

| | | |
|---|---|---|
| 108 | 5 | humores |
| 110 | 12 | at si delirium |
| | 19 | forte |
| 112 | 20 | increpem |
| | 23 | vehente, lege retento |
| 116 | 23 | inficit |
| 120 | 19 | caloris |
| 121 | 7 | adjuvarit |
| 127 | 28 | demonstratorum |
| 131 | 15 | insomniis |
| 132 | 13 | pituita |
| 133 | 26 | Bochier |
| 134 | lig. ultima | carus dicta |
| 140 | 7 | phenigmi |
| 145 | 7 | evadat |
| 149 | 9 | Paula |
| 150 | 25 | corporis |
| 151 | 18 | sudori |
| 152 | 6 | curare |
| | 20 | concitaturum |
| 167 | 14 | eam effusis |
| 169 | 8 | ejulabundus |
| 170 | 3 | cedere |
| 179 | 5 | semis |
| | 18 | tument |
| 181 | 29 | temporis |
| 184 | 12 | cœli, lege colli |
| 195 | 7 | *impetum materiæ qua* |

*pulmo vexatur evocat*

| | | |
|---|---|---|
| 202 | 21 | veficula, lege jufcula |
| 209 | 3 | dele & |
| 215 | 27 | traijceret |
| 216 | 9 | ad ipfas coftas |
| 217 | 24 | e fputi |
| 221 | 22 | Begon |
| 224 | 9 | occifioni |
| 227 | 19 | quæ hæreditario |
| 231 | 14 | vifi |
| 245 | ultima | decernendam |
| 249 | 2 | Medicos |
| 251 | 7 | diarrhæa |
| 256 | 11 | nativæ |
| 259 | 8 | fin |
| 261 | 28 | hepatis |
| 262 | 18 | atonia |
| 275 | 11 | luxurient |
| 277 | 9 | incalefcente |
| 280 | 10 | evenire |
| 292 | 13 | finiftro,lege inufto |
| 299 | 26 | confentiant |
| 302 | 8 | Exomphalocelem |
| 313 | 25 | admoveri |
| 321 | 5 | fimilia |

# MAGNVS
# HIPPOCRATES
## COVS, MEDICORVM
Omnium facilè Princeps,
## REDIVIVVS.
## TOMVS PRIMVS:
### PHYSIOLOGICA CONTINENS.

*In antiquis sapientia*, Iob. 12 v. 12.

*Autore* R. R. *Doctore Medico.*

LVGDVNI,

Apud SPIRITUM VITALIS in Vico Mercatorio.

M. DC. LXXXI.

*Cum Permissus Superiorum.*

MAGNI

# HIPPOCRATIS

COI, MEDICORVM

omnium facilè Principis

# PHYSIOLOGICA.

## OPERIS OECONOMIA.

*Omnia animantia tum homo ipse ex duobus, facultate quidem diversis, usu verò consentientibus, constant, igne (inquam) & aqua.* Textus.
Hipp. 1. de victûs rat.

HIc textus suo in loco numeris omnibus enodandus hederæ & proœmij instar ipsis Physiologiæ Hippocraticæ reviviscentis exordiis affige- Comment.

tur. Ait autem Hipp. in eo, omnium animantium ipsiúsque etiam hominis naturam ex duobus principiis, facultate quidem diversis, id est per proprias quidem qualitates contrariis; usu verò consentientibus constitui, ex aqua nimirum & exigne. Breviter explico.

Per aquam quatuor humorum invicem permixtorum & simul attemperatorum massam intelligit Hipp. Vt enim megalocosmus quatuor elementis conflatur, terrâ, aquâ, aëre igne: Sic homo qui verè microcosmus est, quatuor humoribus qui microcosmi elementa appellantur. Horum, sanguis, aëri; bilis, igni; melancholia, terræ; pituita, aquæ, proportione respondet.

Per ignem microcosmi Solem intelligit Hipp. Vt enim megalocosmus præter quatuor elementa Solem habet & cætera sydera, circulari jugíque motu utrumque illius ambitum illustrantia: Sic microcosmus ignem in corde gerit, qui circulari jugíque motu quem habet per varias corporis circumferentias Soli megalocosmi & Stellis proportione respondet. Jude

Hipp. *Solem* vocat, & partem corporis in qua potiſſimùm habitat & è qua influit, putà cor, *Cælum* appellat. Plato. *Ignis illius qui non urit quidem, ſed illuminando ſuaviter diem inuehit mundo.* hoc eſt megalocoſmici Solis *germanum* indigitat. Ariſt. *Solem* etiam vocat *qui cum homine hominem generat*; & animam huic igni tanquam inſtrumento conjunctam ac *veluti ignitam* (ut ait) *naturam* appellat, *proportione reſpondentem elemento ſtellarum.*

*1. de vict. rat. Lib. de cord. In Tym. 2. Ph. 3. 29. 2. de gen. anim cap. 2.*

His ſic enodatis, totam Hippocratis noſtri Phyſiologiam in quinque libros diſtinguimus; quorum primus inſcribetur de principiis naturæ hominis, ſecundus de functionibus, tertius de generatione & incremento, quartus de partibus & de earum vſu, quintus de temperamentis & ſanitate.

Primus ergo qui incumbet in diſquiſitione principiorum queis natura hominis conflatur, humorum differentias, naturam, generationis eorum modum, materiam, locum, fontes, diſtributionem *& alia ſexcenta*, ut ait Hipp. id eſt & cujuſque modi ſubſtantias quæ in humoribus latent, enodabit. Tum primam ignis originem,

*Lib. de vet. med.*

naturam, associationem quam habet cum cæteris quæ hominem constituunt, circularem motum illiúsque causam nutritionem quæ aëre per duplicem respirationem advenicnte fieri solet, integrè explicabit: Nec de anima, quæ *proprium est animantium principium*, ut ait Arist. altum in eo libro silentium erit.

1. de anim

In secundo libro demonstrabitur, quemadmodum in megalocosmo Sol diei noctisque, vegetationum & cæterarum mutationum quæ contingere solent author est, aut, ut ait Arist. quemadmodum *Sol omnia movet*: & quatuor elementa *corporum compositorum materia sunt*: Microcosmi Solem vigiliarum & somni authorem *omnia pariter in animante movere*, id est functiones omnes animales vitales & naturales exequi; & quatuor humores *omnia nutrire*, id est microcosmi aut potiùs corporis nutriendi materiam esse: prostrata triplicis spiritus animalis, vitalis & naturalis Tyrannide quæ à tot sæculis timidæ Scholarum credulitati nimiùm imposuit: Harveiana sanguinis circulatione detecta, profligatísque cæteris novitatibus, quæ

11. probl 5.

2. de part. anim cap: Hipp 1. de vict. rat.

inescata plus quàm par foret Medicorũ ingenia huc usque temporis delusêre.

In tertio, miro demonstrationis artificio, generationis & incrementi naturam & modum illius exponemus, patefacientes vera generationis megalocosmi & microcosmi analogia quod, quemadmodum in primâ rerum omnium productione quatuor elementa tertiâ operis sextidui die procreata sunt, totáque megalocosmi compages apparuit; Sol, Luna, Stellæ, quartâ die in lucem eruperunt, Sententia, quintâ; Homo autem sextâ, creatione & generatione sua productioni rerum finem imposuit; summúsque rerum omnium artifex die septimâ cessavit & requievit ab universo opere quod patravit: Sic in productione hominis, quatuor humores quatuor elementis megalocosmi proportione respondentes tertiâ conceptionis die in utero in actum erumpunt; & tota microcosmi compages educitur: Sol quarta die crebris palpitationibus in corde conspicuus, *igneo vigore* varias microcosmi circumferentias perfundit, *& omnia quæ sunt in corpore, suo modo ad universi imitationem, magna cum parvis*

1. gener.

Virg. 6. Æneid.

Hipp 1. de

vict. rat. *& parva cum magnis disponit*; fœtus qui priùs inter vegetantia recensendus erat, sentientem naturam adipiscitur; sextâ die rationalem summâ Dei omnipotentis operâ ut ita verum sit quod ait Hipp. *Vitam hominis septem dierum numero circumscribi* Tum hominem megalocosmi dissimilem, & omni ex parte præterquam animæ rationalis (cujus immortalitatis & singularis creationis in quavis productione hominis necessitas astruetur) similem esse demonstrabimus: Et quemadmodum in megalocosmo varij reperiuntur artifices qui varias artes exercent, *Figuli*, *Sutores*, *Aurifabri*, *Histriones*, *Coqui*, *Serra secantes* & cæteri: naturam hominis *suis affectionibus tum obscuris, tum manifestis* omnes artifices imitari aperiemus.

Lib. de cor.

Hipp. 1. de vict. rat.

In quarto patefiet, quemadmodum in megalocosmo præter quatuor elementa *sexcentis* ut ait Hipp. id est cujusque modi substantiis gravida, varia mixta variis usibus idonea reperiuntur, quæ è prædictis elementis, hæc autem, è rudi & indigesta megalocosmi futuri mole mandato Dei primùm creata suam duxerunt originem: in

Lib. de vet. med.

microcoſmo præter quatuor humores, *ſexcentis*, id eſt, cujuſque modi ſubſtantiisgravidos, varias partes propriis uſibus idoneas reperiri; quæ unà cum quatuor humoribus primùm è terra verbo Dei productæ, nunc è ſemine ſeu rudi & indigeſta microcoſmi futuri mole ſuam ducunt originem. Peculiarem autem earum partium uſum exponemus

In quinto denique & ultimo aperietur, quemadmodum ex igne ſolari è cælo cæteras orbis partes radiis ſuis circulari jugíque motu terram ambientibus perfundente, & ex elementis ſibi invicem prædominantibus variæ regionum megalocoſmi temperies originem trahunt; quæ per diei & anni curriculum immutantur: in microcoſmo è paribus ignis è corde, ſeu *è Calo* in cæteras corporis partes circulationem agentis influxibus & peculiaris humoris cæteris prædominantis imperio, peculiares corporis temperies illis reſpondentes originem ducere; quæ per totum diei, anni, vitæque curriculum immutantur. Hæ autem ignis & aquæ temperies, cùm partium ſimilarium conſtitutionem pariant,

Quemadmodùm in megalocoſmo varios conformationis modos ineſſe denotatur; & alias illius partes *cavas, ſublimes, aſperas & alia ſexcenta*; ſic in corpore varios conformationis modos ineſſe declarabitur, qui diſſimilarium partium ſanitatem effingunt; & ſanitatem in *omnium aquabilitate*, id eſt in recta ſimilarium partium temperie, diſſimilarium conformatione omniúmque unione quærendam eſſe.

*Lib. de vet. Med. Hipp. 1. de vict. rat.*

Cæterùm, Lector, in hocce volumine non aliis armis certatur, quàm ipſo Hipp. Magni, Platonis, Ariſtotelis textu ad litteralem ſenſum expoſito & carmine Lucretij Cari & Ovidij; quos omnes Authores potiorem doctrinæ ſuæ partem à ſacris Codicibus mutuaſſe aperietur: Nec deerunt rationes & experientiæ à tantis Viris utplurimùm mutuatæ.

Librorum autem Hipp. Magni qui commentariis illuſtrabuntur, factâ priùs omnium accuratiſſimâ diſcuſſione, hæc erit ſeries.

Libri
- *De lege.*
- *De natura hominis.*
- *Primus de victus ratione,*
- *De corde.*
- *De genitura.*
- *De natura pueri.*
- *De carnibus.*
- *De glandulis.*

Physiologica quæ continentur, *in libro quarto de morbis & in cæteris libris & in fragmentis.*

His accedent duæ digressiones quarum prima continet Platonis mentem de principiis & functionibus hominis, & commentarium in potiorem partem *Tymæi.*

Altera continet analogiam generationis megalocosmi & microcosmi, & commentarium in *Caput primum Geneseos.*

*FINIS.*